

## CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Habacuc cap. precedenti, audiens a Deo, Chaldaeos caeciuos Jerusalem ob ejus scelera, indoluit, excidiumque deprecatus est vers. 12, conquerens non decere ut fidelibus dominentur infideles, eosque disperdant. Hic querela ejus occurrit Deus, dans novum latumque oraculum de Chaldaeorum excidio. Respondet ergo se Chaldaeos, postquam per eos punierit Judeos aliasque gentes, illico perditurum, ac puniendum eorum tyrannidem, quam in populum Dei exercuerunt. Unde, vers. 6, pangens Nabuchodonosori carmen lugubre, multiplex vae ejus arrogantiae, avaritiae et rapinis intental. Denique, vers. 18, docet eum frustra in suo deo Belo confidere, cum is non sit nisi simulacrum natum, pictum et fictum: Dominus autem, inquit, in templo sancto suo, sileat a facie ejus omnis terra (1).*

1. Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem: et contemplantur, ut videam quid dicatur mihi et quid respondeam ad arguentem me. 2. Et respondit mihi Dominus, et dixit: Scribe visum, et explana eum super tabulas: ut percurrat qui legerit eum. 3. Quia adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur; si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit. 4. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet. 5. Et quomodo vinum potantem decipit: sic erit vir superbus, et non decorabitur: qui dilavit quasi infernum animam suam: et ipse quasi mors, et non adimpletur: et congregabit ad se omnes gentes, et concervabit ad se omnes populos. 6. Numquid non omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam enigmatum ejus; et dicitur: Vae ei qui multiplicat non sua? usquequo et aggravat contra se densum lutum? 7. Numquid non repente consurgunt qui mordeant te: et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? 8. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis propter sanguinem hominis, et iniquitatem terrae civitatis, et omnium habitantium in ea. 9. Vae qui congregat avaritiam malam domui suae, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali! 10. Cogitasti confusionem domui tuae, concidisti populos multos, et peccavit anima tua. 11. Quia lapis de pariete clamabit: et lignum, quod inter juncturas aedificiorum est, respondebit: 12. Vae qui aedificat civitatem in sanguinibus, et preparat urbem in iniquitate! 13. Numquid non haec sunt a Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne, et gentes in vacuum, et deficient. 14. Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquae operientes mare. 15. Vae qui potum dat amico suo, mittens fel suum, et inebrians ut aspiciat nuditatem ejus! 16. Repletus es ignominia pro gloria: hibe tu quoque, et conspire: circumdabit te calix dexteram Domini, et vomitus ignominiae super gloriam tuam. 17. Quia iniquitas Libani operiet te, et vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, et iniquitate terrae, et civitatis, et omnium habitantium in ea. 18. Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, et imaginem falsam? quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulacra

(1) Quod quoniam a se proposita cap. 1, respondeat Deus, attentus et constans expectat Propheta tanquam speculari in loco alto constitutus, 1; cui responsum dat Deus satisfaciens ejus querelis.

Primo quidem, pro Judaeis, Deus, primo, vult prophetiam litteris exarari, ne ex hominum memoria excidat, 2; secundo, promittit certam, quamvis seram, salutem, tum per captivitatis solutionem, tum per Messiam, 3; tertio, denuntiat illam, non incredulis, sed fidelibus profutura, 4.

Secundo, contra Chaldaeos, quibus praedicit excidium regni per penas vitii correspondentes: nam primo, ambitionem et insatiabilem emendendi cupiditatem excipiet vituperium et irrisio, 5, 6; secundo, violentiam aliorum direptionem, spoliatio propria et reciproca, 7, 8; tertio, avaritiam et per nefas discedendi cupiditatem, direptionem et distractio propriorum, 9-14; quarto, inebriationem aliorum et perditionem, pena talionis, 15-17; quinto, idololatricam, experimentum impotentiae idolorum et potentiae Dei, 18-20.

muta. 19. Vae qui dicit ligno: Expergiscere: Surge, lapidi tacenti: numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro et argento: et omnis spiritus non est in visceribus ejus 20. Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie ejus omnis terra.

1. SUPER CUSTODIAM MEAM STABO. — Symmachus: Quasi custos super speculam stabo; Chaldaeus: Super vigiliam meam stans paratus, q. d. Ego quasi excubitor, stabo vigil in excubiis meis, nimirum figam gradum super munitionem meam; hoc enim idem est quod: « Super custodiam meam stabo. » Pro munitionem hebraice est מַסּוֹר *matsor*, quod Theodotion vertit, *gyrum*; Aquila, *circinum*; Symmachus, *conclusum*; Septuaginta, *petram*; quae omnia eodem recidunt. *Matsor* enim proprie significat *arcem*, vel locum natura arteve munitum, murisque per gyrum cinctum et conclusum, in quo milites excubant, in turriculis, vel propugnaculis, ne hostis in ea irrepat et occupet. Est metaphoram a militibus et vigilibus qui in statione sua excubant, ut partem munitionis vel mœnium sibi commissam vigilantiter et attente custodiant, q. d. Ego Habacuc strenuus ero et attentus in officio meo, perinde ac si mihi commissae esset munitione aliqua servanda, instar excubitoris in statione mea, puta in circulo excubiarii meorum, vigil consistam, ut inde speculari oculis, et auribus attendam quid querelae meae et deprecationi de Chaldaeorum in Judaeos tyrannide, sive per visum, sive per vocem respondeat Deus (1). Unde S. Hieronymus sic explicat: « Stabo, inquit, in specula mea, id est in prophetiae meae sublimitate, et videbo, post captivitatem populi et eversionem civitatis et templi, et deinceps, quid sequatur: vel certe ita: Custodiam omni diligentia cor meum, et stabo super Christum petram. » Sed hoc posteriori mysticum est, non litterale. Denique Arabicus vertit: *Stabo, et gradatim incendam super saevum*, uti faciunt excubitores, ut pellant frigus et tempus fallant.

Mystice, *custodia primo*, est secretum et secessus, in quo animae silenti et collectae loquitur Deus. Audi Cyrillus: « In exercitatione et constantudine mea excubabo, animum rursus purgabo, curis mundanis exsolvam, sursum quodam modo volabo, ut in petram, hoc est, in stabilitatem quandam, et velut in sublimi sitam securitatem cogitationum. Illic ceu ex jugo montis speculari per intellectum, quae Deus mihi locutus fuerit. » Et S. Bernardus homil. in haec verba *Habacuc*: « Et nos ergo fratres, obsecro, super custodiam nostram stemus, quoniam tempus militiae est. Neque in sterquilino hujus miseri corporis, sed in corde, ubi Christus habitat; in iudicio et consilio rationis: et conversatio nostra: ita sane ut non in ipsa habeamus fiduciam, aut

(1) Saepe Propheta expectantes, quid Deus ipsis sit patefacturus, speculatoribus comparatur, e locis editis quod eveniat observantibus: cf. *Jerem.* vi, 17; *Ezech.* iii, 17.

fragili innitatur custodiae; sed figamus gradum in munitione firmissimae petrae, Christo totis viribus innitentes, sicut scriptum est: Qui statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos. »

Secundo, *custodia* est status, gradus et officium, in quo vel per se, vel per superiores nos posuit Deus, ut eum custodiamus et exerceamus. Ibi loquitur, ibi operatur: extra eum silet et quiescit. Qui ergo vult Deum audire, in statu suo maneat, alium non ambiet: officium, in quo eum posuit obedientia, non deserat; sed strenue et constanter illud obeat. Ita Sanchez.

ET QUID RESPONDEAM AD ARGUENTEM (id est arguenti) ME. — Ex Hebraeo sic primo, vertunt Theodoretus, Theophylactus, Pagninus et Vatablus: et quid respondeam ad disceptationem meam, vel ad argumentum meum: meum, id est mihi propositum ab improbis, qui putant Deum non habere curam rerum humanarum, eo quod prosperat et fortunet impios, q. d. Expectabo responsum Dei, ut ex eo respondeam improbis, qui ejus providentiam suo hoc argumento impugnant et accusant.

Secundo, Chaldaeus sic vertit: *Quid respondebitur ad deprecationem meam*. Unde a Castro sic exponit, q. d. Ut audiam quid respondeat Deus ad meam humilem et mitem expostulationem, seu argumentationem, et ex animo sincero prodeuntem correptionem. Verum Hebraeus, Septuaginta et Noster habent, *quid respondeam, scilicet ego, non quid respondent, scilicet Deus*.

Tertio et genuine, Noster vertit: « Quid respondeam ad arguentem me, » hoc est, quid respondeam Deo, qui, ut praesagit mihi animus, me arguet, quod questus sum de ejus providentia, qua sinit impios Chaldaeos vastare Jerusalem. Sed ego illico cogitabo quid Deo arguenti respondeam et replicem. Unde hebraice est, *quid respondeam correptioni, vel redargutioni meae, q. d.* Scio quod Deus meam libertatem redarguet; sed ego redargutioni huius meae modeste replicabo quod mens suggeret: gessit enim animus dolens et aeger de hac impiorum felicitate disserere et disputare. Simili modo Job afflictus disputavit cum Deo, cap. xiii, 3. Sicut ergo miles et excubitor, obsessus ab hoste, cum eo de munitionis conditione disputat argumentis, vel verborum et rationum, vel verborum et telorum; ita philosophus et theologus argumentans et disputans cum altero de aliqua questione, v. g. de Dei providentia, de impiorum felicitate, etc., intendit et excubat ut audiat, quid suo argumento ab eo qui thesin defendit, respondeatur; ut illic responsum ejus novo argumento impugnet. Ar-

det enim ejus animus ad disserendum, et ad confingendum argumentis, non bellicis, sed scholasticis. Ita ardet hic Propheta disserere cum Deo, etque arguenti replicare. Ita S. Hieronymus, Albertus et Lyranus. Porro notat S. Hieronymus, atque: « Eleganter autem, et miro sensu humanam describit impatientiam, quam in disceptionibus semper habere consuevimus, ut antequam nobis ex adverso aliquis respondeat, et sciamus in quo nos arguerit, ad respondendum paremur. Ex quo ostenditur responsonem non rationis esse, sed contentionis. Si enim esset ratio, responso deberat expectari; et sic videri utrum respondere deberet, an consentire rationabili responsoni. » Quare Deus benignissimus, molli et consolatoria sua responsonem, fragil hunc Propheta disputandi ardorem, adeo ut ipse, ea partim confusus, partim consolatione plenus, non habeat quod replicet, sed obtuscescat, imo cap. sequenti in hymnum et doxologiam Dei crumpat.

Vers. 2. 2. SCRIBE VISUM (id est rem visam, puta prævisam prophetiam, quam tibi nunc revelo et ostendo de Chaldaeorum interitu, et Judaeorum e Babylone liberatione. Scribe, inquam, tum pro presentibus, tum potius pro posteris, quos haec res tanget; illi enim ituri sunt in Babylone, indeque redituri; ut ex hoc tuo oraculo id resciam, indeque consolationem et certam reditus spem concipiam: ideoque ut omnibus hoc innotescat, jubeo illud scribi, non in libro, qui claudi et seponi solet; sed in tabulis apertis et expansis, quae publice cuilibet ad legendum proponuntur. Unde subdit: « EXPLANA EUM (scilicet visum) SUPER TABULAS, UT PERCURRAT QUI LEGERIT EUM, — ut scilicet legens eum, facillime percurrere et perlegere possit; Vatablus: *Clare explicat eum (visionem) in tabulis, ut festinato et expedito pergat, qui eam legerit; Septuaginta: Scribe visionem manifeste in buxo, ut curvat qui legit ea.* Olim enim non erat cognitio nec usus chartae vel pergamenti; sed scribebant in tabulis ligneis, praesertim e buxo, quia buxus mollis est, et facile characteres recipit. Aegyptii deinde tempore Alexandri Magni scribere coeperunt, teste Plinio lib. XIII, cap. XI, in tabulis, vel phylluris arboris, quae ibi frequens est vocaturque *papyrus*; indeque charta nostra quae fit e linteis confusis (qua eundem, imo commodiorem scribendi usum praebet) vocatur *papyrus*: nam *papyro* veterum successit, ut dixi *Esaed.* II, 5. Porro in hisce tabulis scribebant, vel nudis, vel cera obductis. In nudis incidebant characteres. Ita Beda in *Collectaneis et floribus*, ait titulum crucis Christi buxo fuisse inscriptum; itaque revera esse meis oculis conspexi. Vidi enim saepius titulum crucis, qui a S. Helena therosolymis Romam translatus, repositus est in ecclesia S. Crucis in Jerusalem. Titulus hic est tabella lignea, in qua nuda incisae sunt litterae, quae quia tabulae sunt

concolores, et quia vetustate extritae, hinc clare discerni legique nequeunt: unde in alia tabella eadem a Romanis olim descriptae et expressae sunt, ut legi possint. Saepius tamen tabulas has cera obducebant, ac stylo in cera complanata scribebant. Unde Propertius:

Non illas fixum charas effecerat aurum,  
Vulgari buxo sordida cera fuit.

Hisce stylis pueri et discipuli S. Cassiani martyris, ipsum praecipitorem suum, longa et horrenda morte enecarunt, uti legimus in ejus Vita. Plura de hac re vide apud Guevaram.

3. QUIA ADHUC VISUS PROCUL. — Hebraeus: *Quia adhuc visio in tempus.* Dat causam Deus cur jubeat hanc visum, id est visionem, in tabulis scribi: « Quia, » inquit, « procul est, » q. d. Post multa tempora eveniet. Scribe ergo eam ad memoriam, ut posterius eam legentes, ejus expletionem fidenter expectent: quia esto differatur, certo tamen apparebit in finem, » Hebraice *יפהאח*, id est afflabit, aspirabit, anhelabit in finem, ut scilicet cito finiatur et compleatur, per rei prophetatae eventum, existentiam et apparitionem, se ostendet in fine, id est tandem tempore a Deo praestituto adveniente, reipsa explebitur.

Queros, quis hic visus? quae propheta? quem tangit, de quo agit? Aliqui putant ad litteram hic esse prophetiam de Christo, q. d. Veniet Christus, qui in die iudicii injuriantes Chaldaeos puniet et damnabit; fideles vero injuriam passos aeterna gloria remunerabit. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Remigius, Rupertus, Clarus et Ribera. Probant, quia S. Paulus citans hunc locum, eum intelligit de Christo, Rom. cap. I, 17, et *Hebr.* cap. X, 38. Verum dico prophetiam hanc ad litteram loqui de Nabuchodonosoris et Babylonicis imperii eversione per Cyrum, ac Judaeorum e Babylone liberatione. Id ita esse patet ex antecedentibus et sequentibus. Respondet enim Deus Prophetae querela de Chaldaeorum in Judaeos tyrannide et prosperitate; eumque consolatur, promittens celere finem, quem proinde ipse e sua prophetica specula, quasi exhibitor prospectat et praenuntiat. Ita Cyrillus, Theodoretus, Albertus, Arias, Vatablus et a Castro. Allegorice tamen loquitur de adventu Christi, qui mysticam Babylone, id est regnum diaboli confusione plenum, evertens, ex eo veros spirituales Israelitas, id est fideles et christianos, eruit in primo suo adventu in carnem; et complete eosdem eruet in secundo suo adventu ad iudicium. Id patet ex eo quod Apostolus locis jam citatis haec accipiat de Christo. Idem innotet *re-veniens veniet.* Solet enim Christus, qui venturus est, a Prophetis dici *veniens*; id est *veniens*, ut vertunt Septuaginta.

SI MORAM FECERIT, EXPECTA ILLUM (scilicet visum), id est visionem et prophetiam): QUIA VENIENS VENIET (quia certo implebitur), ET NON TARDABIT, —

ultra tempus suum sibi quae a Deo praestitutum, licet Judaeis afflictis et impatientibus tardare videatur: captivus enim in Babylone mora 70 annorum videbatur longissima et tardissima. Haec ergo mora Judaeis erat prolixa et sera; Deo vero erat exigua et velox: mille enim anni in conspectu ejus sunt quasi dies hesternae, quae pertransiit. Aliter Sanchez, q. d. « Expecta illum, » hoc est, time Nabuchodonosorem, qui brevi veniet puniturus improbos Judaeos, qui, ut tu, o Habae, quereis, violententer opprimunt pauperes. Nabuchodonosor enim ulciscens oppressionem pauperum, fuit typus Christi, aeque ac Cyrus ulciscens impios Chaldaeos qui opprimebant Judaeos. Sic expectare, non desiderare, sed timere significat *Psalm.* LXVIII, 21: « Improperium expectavit cor meum, et miseriam. » Et *Enchiridion* I:

At sperate Deos memores fandi atque nefandi.  
Sperate,

id est time. Et lib. IV:

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Verum non videtur hoc ad mentem Prophetam, qui de Nabuchodonosore queritur quasi de tyranno, et oppressore tam piorum quam impiorum Judaeorum, ideoque ejus adventum deprecatur. Hic enim nequit esse typus Christi redemptoris, uti fuit Cyrus liberator Judaeorum e Babylone. Consolatur enim hic Deus Prophetam promittendo Cyrum, qui populum Dei captivitate Babylonica, et allegorice Christum, qui eundem captivitate diabolica liberet; eumque jubet expectari, quia veniens veniet, ut hac fide et spe vivat, ac se suscipiat a Nabuchodonosore affligendos sustentet.

Vers. 4. 4. ECCE QUI INCREDULUS EST, NON ERIT RECTA ANIMA EJUS. — Pro *incredulus* hebraice est *פולחן* *uppela*, id est obtenebratus, aëreus, angustus, diffidens, incredulus, impatiens, contentiosus, superbus, presumptuosus, rebellis: haec enim vitia omnia inter se connexa sunt, unumque sequitur ex alio. Unde Tigurina vertit: *Ecce arrogantis et fastuosi animus non est in se rectus*; Pagninus: *Viri superbi non est recta anima in eo*; quod Vatablus exponit de Nabuchodonosore, hoc modo, q. d. Nabuchodonosor qui non rectam, sed perversam habet animam et mentem, victorias suas non Deo, sed sibi tribuit, in iisque exultat et superbit: at justus qui rectam habet animam, et recte secundum Deum vivit, est humilis, non arrogans; quia Deo humiliter omnia bona adscribit, non sibi. Rectam enim habere animam, est recte sentire de Deo, rectam de Deo habere fidem. Opponit enim incredulum, qui non habet animam rectam, fideli et justo, qui in fide sua vivit, q. d. Fidelis fidenter et recte vivit in sua recta opinione et fide, quam de Deo conceptam habet: infidelis autem et incredulus pravam de Deo habet opinionem et fidem; unde in ea recte et con-

fidenter vivere nequit. *Secundo*, R. Moses, quem sequitur Christophorus a Castro, haec exponit de Sedecia et Jechonia sic, q. d. Sedecias aliique Judaei increduli, qui jubente Deo per Jeremiam cap. XXIV, noluerunt se dedere Nabuchodonosori, perversi sunt et peristi, qui Dei oraculo obidentes aessele fideles et justissimi, qui Dei oraculo obidentes dederunt se eidem, credentes et sperantes ex ejusdem oraculi promissione, suo tempore liberationem, vitam et felicitatem, in hac sua fide vivent felices et fortunati, quia bona quae crediderunt, et speraverunt ex Deo, eis obvenient. Unde R. Moses hebraeum *uppela*, vertit, *abscondit se in arce* *יפהאח*, q. d. *Sedecias arce celsa et munita in Jerusalem, q. d. Sedecias cum suis posuit se in Jerusalem, quasi in arce et turri Ophel a Chaldaeis inexpugnabili, nec crediti aut speravit in Deo; ideoque peribit.* At Jechonias pro turri et arce, pro suo Ophel, habuit Deum, Deique oraculum: cui quia obediit, ideoque vivet sospes et felix. Verum hic sensus arctior videtur; praesertim quia de Sedecia et Jechonia nulla hic fit mentio.

*Tertio* ergo, genuine et adequate sensus est, q. d. Qui hisce meis oraculis de Judaeorum e Babylone liberatione per Cyrum, et allegorice de hominum liberatione per Christum, incredulus est, ideoque injustus et impius, hic non habet animam rectam, ideoque displicet Deo, ut vertunt Septuaginta, et ex iis S. Paulus *Hebr.* X, 38, ac consequenter vera, recta, pacata, felicitate vita fidei, spei, gratiae et gloriae non vivit, tum quia me habet infensum, tum quia in hominibus rebusque creatis spem suam aeque ac metum reponit: quocirca nunc a spe, nunc a metu huc illicque agitabitur, vitamque aget fluctuantem, erummosam et infelicem. At vero fidelis et justus, qui credit Deo et meis hisce ex Deo prophetiis, de liberatore Cyro, et allegorice de Salvatore Christo, hic vivet vita recta, sancta et felici, quia in Deo, qui vera est vita, ejusque promissis defixus, illi charus, cordi et curae erit. Unde vertit: *Ecce impii dicunt in corde suo: Non erunt haec omnia*, quae per Habacuc praedicit et promittit Deus; *sed justi in veritate ejus, puta in fide et fidelitate Dei, firmabuntur.* Et Symmachus: *Justus autem per fidem suam propriam vivet.* Ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Hugo et Lyranus.

Nota: Hebraeum *uppela* est femininum; Noster tamen vertit masculinum *incredulus*, quia Hebraei saepe utuntur enallage generum, unumque genus ponunt pro alio, praesertim cum aliud sequitur; esto illud proprie id quod praecedit non referat, nec respiciat. Adde, ad verbum, servando genus hebraeum, illudque concordando, sic veritas: *Non erit recta anima ejus, cujus est incredula*, vel impatiens et superba.

Nota *secundo* antithesin; opponit enim incredulum credenti et justo, quod ille non habet animam rectam, hic vero habet; puta in fide sua

vivat. Unde sequitur animam hic metonymice capi pro vita, q. d. Incredulus habet animam, id est vitam, non rectam, sed distortam, anxiam, miseram et infelicem; justus autem in fide et spe sua agit vitam rectam, puta letam, quietam, sanctam et felicem. Rectitudo ergo animæ est iusti vita, que in duobus consistit.

Justi vi-  
ta et rec-  
titudo  
sita in  
duobus.

Primo, in constanti tolerantia adversitatum et afflictionum, v. g. captivitatis Babylonice, ad quam directe hic respicit Propheta; proprie enim vult significare Judæos, qui constanter eam tolerabant, suscipientes eam de manu Dei, pro penitentia suorum peccatorum, ac longanimiter, sed certo expectantes ejus finem post 70 annos, juxta promissa Dei: rectam habituros animam, id est in captivitate vitam acturos patientem, tranquillam, sereneam; cum alii in eadem impatientes, et diffidentes se unquam ex ea liberandos, habebunt animam distortam, pravam et miseram, vitamque vivent infelicem; mille enim rumoribus, mille timoribus, tristitiis, angoribus, desperationibus, jugiter huic illucque jactabuntur, eo quod non credant nec fidant Deo ejusque Prophetis, ut Habacuc promittenti hanc liberationem. Fideles enim per fidem et spes mentem corroborat ad omnia tristia fortiter sustinenda, ut docet Apostolus toto cap. xi ad Hebræos: « Fides, inquit, est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei. Fide Henoch translatus est, etc. Qui (heroes veteris Testamenti) per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, lapidati sunt, secti sunt, » etc.

Secundo, rectitudo animæ, justique vita est sublimior, nimirum divina; qua anima fidelis, per fidem et spes sustinet captivitatem, et tribulationes a Deo immensus, credens et sperans, quod Deus, uti promisit ex iis liberationem, ita et certo eam præstabit suo tempore, grata est, placetque Deo, utpote patiens et resignata in Dei voluntatem, ideoque deformis et sancta; cum ex adverso incredulus et diffidens Deo, per hanc suam diffidentiam, displicet ei peccetque, et idcirco mereatur in sua tribulatione, diffidentia ac desperatione relinquì, imò novis tam in hac vita, quam in futura afflictionibus puniri. Hoc ita esse patet ex versione Septuaginta: *Si subtraxerit, inquit, se, non complacabit anima mea in eo, justus autem ex fide mea vivet.* Ita passim Interpretes. Idem patet ex Apostolo Roman. i, 17, et Hebr. x, 38, ubi docet justum ex fide vivere, id est justificari. Vide ibi dicta.

Ubi nota: Septuaginta pro legentes, puta pro בְּמַחְבְּרֵי בְּמַחְבְּרֵי, id est in fide sua, uti legunt Hebræus, Aquila, Symmachus et Theodotion legentes בְּמַחְבְּרֵי בְּמַחְבְּרֵי, vertunt, in fide mea; sed eodem redit sensus. Eadem enim est fides

nostra, quam Dei; fides enim est nostræ, subjective; eadem est Dei, objective: pro objecto animam habet Deum. Ratio enim formalis credendi in fide, est prima et increata Dei veritas, quas falli aut fallere nequit. Ideo enim certo credimus, ea que Prophete prædixerunt, esse vera, et reipsa eventura; quia Deus, qui est ipsissima veritas, ea per Prophetas nobis revelavit et promisit.

Anagogice, rectitudo animæ justique vita perficitur in celo, ubi ob meritum tolerantie, fidei et spei, donabitur gloria æterna, que plenam animæ, et potentis omnibus dabit rectitudinem vitamque celestem jucundissimam et beatissimam.

Moraliter, discite hic quanta sit virtus fidei et spei, que omnia adversa superat, facitque animam rectam, eique dat vitam sereneam, letam et divinam. Viderunt id per umbram Gentiles. Unde Bias, rogatus « quid esset dulce hominibus, » respondit: « Spes. » Ita spes suscitavit colonos, et constanter sustineant labores arandi, fodiendi, cocendi, serendi, sarrandi, etc., expectatione messis. Ita victoria et spoliatorum spes acuit milites ad fortiter pugnandum, ad verbera et vulnera omnia genereose excipienda. Alexander Macedo, apud Granicum cum copiis Darii conficturus, hortabatur Macedones ut affatim praderent, quasi postmodum ex hostium commotio cœntrari. Nimirum victoriam certa spe præceperat, et vicissim spes hæc accendebat milites ad dimicationem, ut ea victoriam pararent. Idem in bellum profectus, cum regias opes in duces et milites distribuisset, roganti Perdice: « Quid tibi nunc rex superest? Spes, » inquit. Tum Perdica: « Hæc nobis commillionibus tuis futura est communis; » quare prædium, quod ipsi designarat Alexander, reusavit. « Tanta erat fiducia bene successuram expeditionem, » ait Plutarchus in *Alexandro*. Di-

Morali-  
ter, de  
præcep-  
tis fidei  
et spei.

Exem-  
pla.

Scriptu-  
ra.

S. Carolus Borromeus reformaturus congregationem quadam, cum a suis moneretur ut eam non adiret, in ea enim illi insidias necemque parari, respondit: « Ergone Deus in mundo est pro nihilo? Imo vero ideo: Deus cujus causam ego contumaciter, quod si nollet, lubens pro eo occumbam. » Quocirca hoc fidei et spei suæ præmium a Deo tulit, ut ibidem selopo appetus, glans ferrea vestem penetravit, sed in cute hæserit, quasi vi divina repulsa, ne in corpus Sancti penetraret. S. Joannes Silentarius irruente Alamundo Saracenorum rege, cum fugerent cæteri, e cella sua egredi noluit, dicens: « Si Deus mei curam non habet, ut quid vivo? » Unde in meritum hujus suæ confidentie, Deus leonem submisit, qui jugiter ei assistens, ipsum contra barbaros tutatus est. S. P. Ignatius fundator Societatis nostre solebat dicere: « Nescitis quantas vires habeat spes in Deum. » Vires hæc ipso assidue expertus est, cum unius Dei ope fretus, Societatem per orbem adeo feliciter sparsit. Nimirum dicitur illud S. Petri *epist.* I, cap. v, et ex eo S. Bernardi, *serm.* 5 in *Vigilia Nativitatis*: « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, ipsi enim cura est de vobis. Nam sibi quidem ipsi fidere, non fidei, sed perfidie est; nec confidentie, diffidentie magis, in semetipso habere fiduciam. Is vero fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas perditum; sed sic perdens animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam. Porro id quidem sola facit humilitas cordis, ut non sibi fidelis anima imitatur, sed deserens semetipsam ascendat jam de deserto, innixa super dilectum suum, atque adeo delicias affluens. »

Græcum  
genium.

clam habet mei, hæreditabit terram; *Psal.* xxvi 1; « In Domino sperans, non infirmabor. » Audi et Patres. S. Augustinum in *Psal.* iii: « Vita vere mortalis, spes est vite immortalis. » S. Gregorium: « Spes in æternitatem animum erigit, et idcirco nulla mala exterior, que tolerat, sentit; » S. Bernardum, *serm.* 9 in *Psalm.* *Qui habitat*: « Tu es, Domine, spes mea, quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid operandum, tu es, Domine, spes mea: hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio mee expectationis. Præferat alter meriti, etc., mihi autem adherere Deo hominum est, et ponere in Domino Deo spem meam; » et rursum: « Si insurgant adversum me prelia, si sæviant mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. Ut quid cunctamur omnino abjicere spes miseræ, vanas, inutiles, seductorias; et huic uni, tam solidæ quam perfectæ, tam beatæ spei, tota devotione animi, toto fervore spei inherere? » Idem, *serm.* 10: « Tu es patientia mea, si tribulatio inferatur, per te sperabo, tu es spes mea; si premia premittantur, per te obtinebo; si insurgat hostis, non nisi in te sperabo. »

Denique præclare Laurentius Justinianus lib. *De Ligno vite*, cap. ii: « Spes est quasi columna, que totum spirituale ædificium sustentat, qua deficiente ædificium corruit, ac in barathrum desperationis incidit. Est etiam anchora animæ, cum servans ne a procellis tentationum irrupatur, de qua Apostolus: Firmissimum solatium habeamus, qui confingimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ, tutam ac firmam. »

5. Et quomodo. — Hebræice יָדָה אֵף הִי, quod Vers. s. Lyranus, Arias et Vatablus vertunt, *quanto magis, humore dant sensum, q. d.* Si superbus et incredulus Nabuchodonosor, qui non Deo, sed sibi suisque idolis, suas victorias adscribit, vivet vitam non rectam et beatam, sed distortam et miseram; quanto magis vir vinosus, æque ac superbus et incredulus, puta ejus filius Balsazar, de suo statu, felicitate, et culmine regio corruet? Verum Noster veritè melius: « Et quomodo. » Transit enim Propheta a Judæis incredulis ad Nabuchodonosorem, eorum virgum et flagellum, hinc ergo comparat ebriam, tum quia omnes gentes, quasi vinum intemperanter hauriebat, eorumque spolis se ingurgitabat; tum quia in modum ebrii bacchantis, non recta incedebat rationis via, sed libidine domandam, æstuque cupiditatum in queque devia grossus obliquans, nunc hos, nunc illos invadebat et trucidabat. Sed hoc vino, quod initio ei sapidissimum erat et jucundissimum, postea deceptus est instar ebrii; quia imperio et mente privatus, omne hoc vinum removere coactus est, dum omnibus spoliatus, relegatus est ad bestias; quare quasi ebrius omnibus fabula ac ludibrium effectus est,

Vis et gnomas genilium sapientum? Apianus lib. II *De Bello etubi*: « Nihil, ait, est efficacius spe, ad sublevandum hominum lassitudinem; » Thucydides, lib. VII: « Ut plurimum spes maxima præbet maximam audaciam et promptitudinem ad invadendum. » L. Florus lib. IV, cap. VIII: « Magne indolis est sperare semper; » Cicero in *Catilinam*: « Sola spes hominem in miseris consolari solet; » Seneca in *epist.*: « Spes est ultimum adversarum rerum solatium; memoria minimum quisque tribuit, spei plurimum; » Seneca in *Ardea*: « Qui nil potest sperare, desperet nihil. » Ovidius, lib. I *De Ponto*, eleg. VII:

Hæc dea (spes) cum fugerent sceleratas numina terras,  
In diis invisa sola remansit humo.  
Hæc facit ut vivat fossor quæque compele victus,  
Liberæque a ferro crura futura patet.

Tibullus eleg. II:

Jam mala insensa letho, sed cretula vitam  
Spes foret, et melius cras fore semper aii.  
Spes alit agricolæ, spes sulcis credit aralis  
Semina, que magno fenore reddat agor.  
Hæc laqueos volucres, hæc rapit arundine pisces, etc.

Denique præclare Laurentius Justinianus lib. *De Ligno vite*, cap. ii: « Spes est quasi columna, que totum spirituale ædificium sustentat, qua deficiente ædificium corruit, ac in barathrum desperationis incidit. Est etiam anchora animæ, cum servans ne a procellis tentationum irrupatur, de qua Apostolus: Firmissimum solatium habeamus, qui confingimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ, tutam ac firmam. »

5. Et quomodo. — Hebræice יָדָה אֵף הִי, quod Vers. s. Lyranus, Arias et Vatablus vertunt, *quanto magis, humore dant sensum, q. d.* Si superbus et incredulus Nabuchodonosor, qui non Deo, sed sibi suisque idolis, suas victorias adscribit, vivet vitam non rectam et beatam, sed distortam et miseram; quanto magis vir vinosus, æque ac superbus et incredulus, puta ejus filius Balsazar, de suo statu, felicitate, et culmine regio corruet? Verum Noster veritè melius: « Et quomodo. » Transit enim Propheta a Judæis incredulis ad Nabuchodonosorem, eorum virgum et flagellum, hinc ergo comparat ebriam, tum quia omnes gentes, quasi vinum intemperanter hauriebat, eorumque spolis se ingurgitabat; tum quia in modum ebrii bacchantis, non recta incedebat rationis via, sed libidine domandam, æstuque cupiditatum in queque devia grossus obliquans, nunc hos, nunc illos invadebat et trucidabat. Sed hoc vino, quod initio ei sapidissimum erat et jucundissimum, postea deceptus est instar ebrii; quia imperio et mente privatus, omne hoc vinum removere coactus est, dum omnibus spoliatus, relegatus est ad bestias; quare quasi ebrius omnibus fabula ac ludibrium effectus est,

ut falsas parabolas, dictoria, et scommata in eum certatim torquerent; ac tandem in filio Balsasare regnum, vitam et animam perdidit. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Remigius et Hugo. Pari modo ambitio, avaritia, gula ceteraque cupiditates, quasi vinum inebriant animos hominum, faciuntque ut quasi mentes capti, ruant in suam perniciem et exitium; vinum enim ambitionis, v. g. quo magis hauritur, eo magis hominem demoralat, ut ex fastu faciat multa insulsa et stulta; per quo dignitate et gradu suo excidit. Porro quomodo vinum decipiat potentem, graphice describit Lucretius:

Cum vini, inquit, vis penetravit  
Aeris, et in venas discessit diditus ardor,  
Consequitur gravitas membrorum, praepeditur  
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,  
Nanti oculi, clamor, singultus, jurgia giscent.

Quocirca Sapiens Proverb. xxiii, 29: « Cui, ait, va? cuius patri va? cui rixae? cui fovae? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, et student cupiditate epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenderit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordabit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. » Ita Chremes apud Terentium a vino se deceptum queritur: « At at, inquit, data hercle verba mihi sunt: vici vinum, quod bibi. At dum accubabam, quam mihi videbar publice sobrius; postquam surrexi, neque pes, neque mens, satis suum officium facit. » Ita prorsus omnis mundi pompa, omnes opes, omnes illecebrae, primo quidem blanda sui specie, pulchroque quasi vultu omnes ad se alliciunt; at mox tot curis, tot periculis, tot molestiis, tot invidiis et emulacionibus, tot infortunis et calamitatibus eos jactant, rapant et exagitant, ut tandem ad scopulos allidant, confringant et disperdant. Ita Guevara.

QUI DILATAVIT QUASI INFERNUM ANIMAM SUAM. — et superbus comparatur ebrio, inferno et morti.

Vox dilatavit, et vox animam, magnam denotant aviditatem. Anima enim idem est quod animae aviditas, sitis, cupiditas. Sicut paulo ante Nabuchodonosorem comparavit ebrio, vino ambitionis tumenti et turgido, indeque vomenti, impingenti et corruenti; ita hic eundem comparat inferno, quia ejus ambitio et avaritia erat insatiabilis: nam omnia glutens, nunquam satiatur, sed quo plura rapiebat, eo plura rapere gestiebat, eratque quasi cerberus insatiabiliter cava guttura pendens. Hinc inferni praeses a Gentilibus vocatus est Pluto, quod mortuorum sit dives, ait Lucianus. *Πλούτης* enim Graecis, sunt divitiae. Hinc et infernus dictus est Orcus, ab *urgendo*; quod in infernum omnia urgeat et praecipiet, ait Festus. Tertio, comparat eundem morti, quae omnis dominatur, omnesque devorat. Sicut enim mors non satiatur mortuis, sed quo plures emori coegit, eo plures occidere satagit: ita et Nabu-

chodonosor non satiatur gentibus et regnis; sed quo plures debellarat et mactarat, eo plures subjugare et mactare anhelabat. Porro Guevara censet, hic et alibi, infernum et mortem esse idem, infernum enim sumi pro ipsa morte defunctorum regina: quia mortem, inquit, veteres Plutonis nomine notaverunt, et eundem Jovem infernum nuncupaverunt. Idem probat ex eo quod Scriptura saepe infernum cum morte conjungat et combinet. Verum S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Lyranus, Clarius, Vatablus, Ribera, a Castro et alii passim infernum a morte distinguunt, duasque hic comparationes fieri censent. Nam et profani haec tria, mors, infernus, Pluto, distinguunt: licet enim infernum Jovem vocent Summanum, quasi summum deorum Manum, tanquam inferni praesidem; non tamen ipsum inferni locum, vocant Jovem aut Plutonem. Jam, si infernus et mors in Scriptura combinantur, ergo bina sunt, non unum. Regnam dicitis mortem, conjugio jungit eum Plutone rege, et fac Proserpinam. Rex enim et regina idem esse nequeunt, ait Delrio *adagio* 1002. Denique mire haec verba explicat Joannes Alba, *Electorum* cap. xxvii: *Infernus*, inquit, capitur pro morte, et mors pro hoste mortem inferente. Infernum ergo vocat hostem. *Anima* vocante nobiles et principes populi. *Dilatate* per antiphrasin significat *coarctate*, id est affligere, vexare, perdere. *Suam dixit pro ejus*: utrumque enim significat hebraeum pronomen. Sensus ergo est, q. d. Hostis coarctabit et vastabit animam, id est principes populi Israelitici, vel hostis dilatabit os suum, ut animam, id est principes Israel, devoret. Verum haec violenta et paradoxa sunt.

Moraliter, nota hic cupiditatem, quo magis ei indulgetur, eo magis in immensum crescere instat ebrietatis, inferni et mortis. Cupiditas enim est quasi ignis, cui quo plus lignorum injicit, eo magis crescit et inardescit: « Sic crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. » Cupiditas ergo est, quasi ardens febris, quae quo plus bibit, eo plus silit. Cupiditas est quasi fera, puta leo, lupus, pardus, tigris, quo quo plus praedatur, eo magis efferatur, magisque ad praedandum accenditur. Cupiditas est charybdis et vorago inextinguibilis; unde Philosophus ventrem gulosi, vocabat vitæ charybdim.

6. NUMQUID NON OMNES ISTI SUPER EUM PARABOLAM VERB. 4. SUMENT, ET LOQUERENT ENIGMATUM EUS? — *Parabola* vocat, carmen funebre de strage Nabuchodonosoris, qui imperium perdidit in filio Balsasare. Hebraei enim omnem sententiam insignem, acutam et illustrem, quale est hoc carmen, vocant parabola, proverbium vel aenigma, praesertim cum in ea miscentur vera proverbialia, parabola, vel aenigmata, uti hic fit. Simile carmen de eodem pepigit Isaias cap. xiv, 4. Sensus est, q. d. Nonne Balsasar caesus a Cyro fiet fabula et diciturum omnibus gentibus, ut in eum hoc, vel

simili carmine, imo scommate, ludant et subsannent?

ET DICITUR: Vae ei qui multiplicat non sua! usquequo et aggravat contra se densum lutum? — Nota primo, « aggravat, » id est multiplicat: sic saepe alibi, gravis idem est quod multus, ut patet *Exod. viii, 28; Psalm. xxxiv, 18; 1 Machab. i, 18*. Est enallage quantitatis continuæ pro discreta; vel metalepsis: quae enim multa sunt, eadem et gravia sunt, hominemque aggravant et degradant. Unde Syrus vertit, *aggravat contra se nubem luti*; Arabicus, *quosque crescit supra te nubes luti* (1)?

Secundo, pro lutum Guevara accipit ceroma, quod ex oleo fiebat et luto, eratque unguentum, quo se athletae in palaestra certaturi perungebant, tum ut fortiores essent, tum ut lubrici, manus antagonista fallere et elabi possent, q. d. Vae Nabuchodonosori, vae Balsasari o infelix, quam tristicum eum manet exitus! ut quid alienis opibus, quasi multo ceromate, instar pugillis, ut fortior et potentior sit ad comparandos exercitus et bella, se superliti? Frustra et noxie id facit. Nam hoc ceroma eum aggravabit, quasi densum lutum in perniciem suam: nam invitabit Cyrum et Persas ad eum invadendum et dispoliandum. Porro ceroma vocari lutum, patet ex illo Persii: « Crassisque lutatus amoris; » et illo Martialis:

Ne lutes immundam nitidos ceroma capillos,  
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Simpliciter tamen vulgare platearum hic lutum accipi potest. Nam opes vocantur densum lutum, primo ob eorum vililitatem. Quid enim « sunt aurum et argentum? » nonne terra rubra et alba, quam solus hominum error facit aut magis reputat pretiosam? » ait S. Bernardus, serm. 4 De

(1) Observat Agellius עֲבֵתִי אֲבֵתִי (quod ex sententia communi vertunt, *densum lutum*, per contemptum vim ingentem auri argentei appellanti) *mutuum aut pignus* significare posse (qua posita significatione), in his verbis sensus elegantissimus latet ex ejus sententia, quam Fullerus in *Miscell. sacr.* lib. V, cap. viii, copiosius sic exponit: עֲבֵתִי אֲבֵתִי propriis pignus sonat, non pecuniam, et verbum אֲבֵתִי abath, pignus, non pecuniam, capere (Vide *Deuter. xv, 6, 8; xxv, 10*). Nec inconcinnè, ut opinor, haec item significatio aptari poterit Prophetae consilio. Assimilatur enim Babylonius feneratori acerbissimo, vel prediti alioquin durissimo domino, et ingentes ipsius thesauri, avidissime pariter ac crudelissime undequo corras, pignorum censulis penes feneratorum, vel dominum illum congestis. Quare clausula: *qui conservat apud se pignorum copiam*, hanc habere videtur sententiam: Qui jam infinitis rapinis, quasi totidem pignorum ablati, per intolerabilem seviritiam omnes gentes ubique locorum coerct, simul ac persoluta primus fuerit penarum veluti summa divinitus constituta; continuo repetent ab eodem omnes gentes pignora sua, hoc est, justissime eum spoliabunt, a quo nefarie et crudeliter ante fuerant spoliatae. Quam quidem interpretationem, utpote talem, quae sensum fundat optime congruum, suam facere non dubitat Rosenmüller, Ackermann, Manuér.

*Adventu*: « quid sunt gemmae, nisi lapides terrae? quid byssus, nisi vernium, puta bombycum fila? quid uniones, nisi excrementa concharum? »

Secundo, quia has opes Nabuchodonosor densabat, ut ex iis copias roburque suum conflaret; sed revera iis sibi perniciem et exitum conflagavit. Unde Septuaginta vertunt: *Usquequo aggravat torquem suam graviter? q. d. Nabuchodonosor densat aurum, ut ex eo suisque faciat torques atreas; sed haec torques erunt eis laquei et catenae graves, quibus eos captivos vinciet, illaqueabunt et suffocabunt Medi et Persae. Aliter Theodoretus; per torquem enim accipit onus tributorum et vectigalium, quod gentibus a se devictis imponebat, et in dies aggravabat Nabuchodonosor.*

Tertio, tropologicè, opes sunt densum lutum: quia congregatae ex rapinis, usuris, fraudibus, animam conspurcant, aggravant, et detrahunt in gehennam. Unde Chaldaeus vertit: *Vae qui multiplicat divitias non suas! usquequo aggregatum est in te gravitatem peccatorum?* Et Remigius: « Opes, ait, sunt densum lutum, quia sinceritatem mentis confundunt, et gravissimo pondere iniquitatis mentem premunt. » Et S. Gregorius, III part. *Pastor.* cap. xxi: « Avaro, ait, contra se densum lutum aggravare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare. » Idem, lib. XXXIV *Moral.* cap. xiii: « Per lutum, ait, terrenarum rerum multiplicatas figuratur, sicut per Habacuc dicitur: Vae ei qui multiplicat non sua! usquequo aggravat contra se densum lutum? denso enim luto se aggravat, qui per avaritiam terrena multiplicans, peccati sui se oppressionem coangustat. Rursum luti nomine, doctrina sordidum sapiens designatur, sicut per eundem Prophetam dicitur cap. iii: Viam fecisti in mari equis tuis, in luto armarum multarum; ac si diceret: Aperiisti iter praedicatoribus tuis, inter doctrinas hujus saeculi, sordida et terrena sapientes. Per lutum quoque desiderium sordide voluptatis exprimitur, sicut Psalmista deprecans ait *Psalm. lxxviii*: Eripe me de luto, ut non inhæream. Luto quippe inhærens, est sordidis desiderii concupiscentiae carnalis inquinari. » Quocirca sapienter alibi monet S. Bernardus: « Nolite, ait, amare ea quae amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant. » Simili modo Crates philosophus, videns adolescentem vino et carne incensari: « O miser, inquit, desine adversus temetipsum carcerem munire, » ait Maximus *serm. 27*. « Omnis enim hic pinguedo quid est aliud, quam densum lutum, quo se aggravat; quoque quasi carere animam suam arcibus includit et incarceratione gulosis. »

7. NUMQUID NON REPENTE CONSERGUNT QUI MOR- DEANT TE? — Puta Cyrum et Persae, inquit S. Hieronymus, Theophylactus, Remigius, Lyranus et alii passim. Nota: Persas comparat canibus aut feris aliam feram insectantibus et mordentibus. Canis enim cum canem, et fera cum fera depa- ditam videt, mox eam adoritur, cum ea rixa-

tur, ringit, mordet, lancinat, donec ei ademptam prædam adinat: ita Persæ cum Chaldeis de præda rixati sunt, eamque illis extorserunt.

Tropologie, mordentes sunt vermes qui cadavera Balsasaræ et Chaldeorum depasti sunt; hosc enim vermes Balsasaræ intantavit Isaias cap. XIV, 41, dicens: « Subter te sternetur tineæ, et operimentum tuum erunt vermes. » Ita Clarus et Vatablus.

8. **QUIA TU SPOLIASTI GENTES MULTAS, SPOLIABUNT TE OMNES, etc.**, PROPTER SANGUINEM HOMINIS (id est hominum, ita Septuaginta et Chaldeus), ET INQUITATEM TERRÆ CIVITATIS, ET OMNIUM HABITANTUM IN EA. — *g. d.* Quia tu multorum sanguinem effudisti, et inique terram Judææ, urbemque Jerusalem, et incolas ejus vastasti, idcirco vastabunt et tu. Ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Hugo, Lyranus. Jerusalem enim erat quasi civitas et metropolis orbis, « gaudium universa terre, » *Thren. II, 43*, uti postea fuit Roma, de qua Virgilius:

Tantum inter alias caput extaltit urbes,  
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Secundo, vox terra, generatim ut sonat, accipi potest, et civitatis, id est civitatum: Babylon enim et Nabuchodonosor, non tantum Judæam et Jerusalem, sed et totam terram, plurimasque ejus civitates oppressit, ideoque oppressa est et ipsa. Ita Theodoretus et Theophylactus.

9. **VE QUI CONGREGAVIT AVARITIAM MALAM DOMUI SUÆ** — *Avartitiam malam* vocat opes male partas, puta per vim et rapinam extortas. Unde Chaldeus verit, *divitiis iniquis et impiis. Secundo*, « malam, » id est exitialem, « domui suæ. » Unde Tigurina verit: *Væ iniquitati tuæ, quæ malo domui suæ? g. d.* Nabuchodonosor rapit opes gentium, ut illis domum sibi construat, in qua quasi in nido secure et molliter conqueat: sed revera eas colligit in malum et exitium domus suæ. Nam propter hanc rapinam puniet eum Deus, et domum ex rapinis edificatam destruet. Rursum præda ejus congeste in hanc domum irritabitur Cyrus et Persæ, ad eam invadendam, ut præda hæc præderent. Porro per domum intelligit, tum palatium, quod quasi arcem magnificentissimam, æque ac munificentissimam edificavit Nabuchodonosor, ut in ea nomen suum et familiam stirpemque eternaret; tum ipsam Babylonem, de qua ipse superbiens ait Daniel cap. IV, 27: « Nonne hæc est Babylon magna, quam ego edificavi in domum regni, in robore fortitudinis mee, et in gloria decoris mei? » Nam præter edifica ab eo vel edificata, vel magnificentissimam restaurata, « tres murorum ambitus intra urbem extruxit, et totidem foris circumdedit, omnes et coctillibus laterculis. Cumque memorabilibus operibus urbem munivisset, et portas in templorum modum ornasset, paternæ regie contiguam aliam extruxit regiam, cujus substructiones, et reliquam

magnificentiam forte supervacaneam esset dicere, » ait Iosephus lib. X *Antiq. cap. XI*. Denique tropologie S. Hieronymus: *Mala avartitia*, ait, dicitur ad distinctionem bonæ, ut sit bona avartitia doctoris ecclesiastici, qui nunquam satiatur multitudinem sectatorum; et quanto plures habuerit discipulos, tanto magis ad doctrinæ studium concitatur.

UT SIT IN EXCELISO NIDUS EIUS, ET LIBERARI SE PUTAT DE MANU MALI. — Alludit ad aquilam, cui comparavit Nabuchodonosorem, cap. I, 8, *g. d.* Sicut aquila in excelso ponit nidum, ut se et pullos ab hominibus et foris rapacibus tutatur et liberet, ideoque eo prædam omnem convehit, et illa tuto sit loco: sic Nabuchodonosor suam arcem posuit in Babylone, ut ea se suosque contra omnes reges tueretur, ideoque eo prædas omnium gentium concessit. Sed errat; nam ex calso hoc nido præcipitabit eum celsior Deus. Sic Romanus ille dicebat, « arcem esse nidos tyrannorum. »

11. **QUIA LAPIS DE PARIETE CLAMABIT.** — Est adagium significans crimen et injuriam publicam et enormem, quæ celari nequeat, *g. d.* Tua tyrannus et violentia tanta est, tamque manifesta, ut, etsi homines tacerent, tamen lapides ipsi et ligna, etiam abdita in juncturis, que raptus, vel rapta pecunia emisti, ad palatia tua et muros in Babylone erigendos, cum illa a Cyro capientur, incenduntur et vastabuntur, veluti pari aut altero contenti, coram Deo et toto mundo palam testatura et clamatura sint, te improbum esse raptorem et tyrannum; itaque tibi conviciabuntur et insullabunt, ac Dei vindictam omnesque diras hostiliter imprecabuntur; eo quod illis vim intuleris, auferendo ea et loco suo: naturali enim appetitu desiderabunt et quasi clamabunt, poscentes justitiam a Deo, ut suo loco restituantur. Est propositio, similis illi *Isaia XIV, 8*: « Abietes quoque lætate sunt super te, et cedri Libani. » Et cap. XXXIII, 9: « Luxit, et elanguit terra: confusus est Libanus. » Inducit enim Propheta quasi in comædiam lapides et ligna Babylonis, instar chori alternis concinentia, et proclamantia tyrannidem Nabuchodonosoris, ejusque stragi et cladi insultantia, ac dicentia:

12. **VE QUI EDIFICAVIT CIVITATEM (Babylonem) IN SANGUINIBUS!** — id est ex pecunia parva exsibus; item ex oppressionibus pauperum, quos cogit in hoc opere sudare et laborare, in eoque spiritus et sanguinem suum exhaurire. Ita Chaldeus, Albertus, Hugo, Vatablus et alii. Unde Arabicus verit: *Quia lapis de pariete clamabit in sanguine, et loquetur passivum, vel patris de trabe.*

Paulo aliter S. Hieronymus: « Lapides, inquit, parietum qui a te destructi sunt, et ligna eorum quos subvertisti, tuam ferociam clamabunt. » Simili schemate ait Christus *Luc. XIX, 40*: « Si hi (infantes clamantes, hosanna filio David) taceant, lapides clamabunt. » Sic et Sallustius: « Sa-

gentini, inquit, fide atque erumnis inelyti, per mortalium studium majores quam opibus: quippe quibus etiam tum semiruta membra, domus incoctæ, parietesque templorum ambusti, manus paucæ ostentabant. » Simile quid et Tullius ad Cesarem *Pro Marcello*: « Parietes medius fidius, C. Cæsar, hujus curiæ tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum, et suis sedibus. » Subdit deinde S. Hieronymus: « Porro quod nos interpretati sumus: Est lignum quod inter juncturas edificiorum est, respondebit, pro quo Septuaginta posuerunt *καταραξ*, id est scarabæus ex ligno loquetur ea (*g. d.* Vermis e ligno et signo, cum suo signo clamabit tuam injustitiam, sibi vni esse factam), manifestus more suo transiitum Symmachus *Antiquus*, id est junctura adificii lignea loquetur ea. Sic et Theodotus, et Quinta Editio. Quod enim hebraice dicitur *כבבב capitis*, lignum significat quod ad continendos parietes in medio structure ponitur, et vulgo apud Græcos *ἰσχυραξ* appellatur. Aquila verit: *Massa de ligno respondebit*. Reperi et alam editionem: Quia lapis de pariete clamavit quasi vermis in ligno loquens; et alteram: Lapis enim de pariete vociferabitur, et *καταραξ* de ligno loquetur ea: » *καταραξ* idem est quod vermis, *v. g. te*, quod ligno innascitur. Vastatis enim domibus, traves et signa in terram corrudentia corrumpuntur et putrescent, generantque teredines et alios vermes, qui reipsa vim domibus illatam, indeque earum ruinam et interitum testantur et clamant. Ita Cyrillus et Theophylactus, qui et addit, forte Septuaginta contextum trahium culmina sustinentem *cantharos* nominasse, quia ipse sibi superpositum lectum ferunt. Probabiliter quoque conjectat Delrio *adagio 1003*, Aquilam verissime *καταραξ*, *ἀπὸ μάκατος*, quod Homero significat *prehendere*. Nam hujusmodi lignum prehendit parietes; et forte a forma reflexa *καταραξ* dicitur: quia *καταραξ* vermis speciem exhibet; sicut et sagitte vocantur *scorpiones*; et machina *arietes* vel *testudines*; ac capita trahium in fabricis extantia, et prominentia, vocantur *canes*. Sic enim conciliantur omnes veterum versiones, et eodem recidunt.

Allegorice S. Hieronymus: « Scio, ait, quemdam de fratribus lapidem qui de pariete clamaverit, intellexisse Dominum Salvatorem; et scarabæum de ligno loquentem, latronem qui Dominum blasphemaverit: quod licet pie possit intelligi, tamen quomodo cum universo propheticæ contextu possit aptari, non invenio. » Tropologie, lapides et signa templorum et moeniorum in die iudicii clamabunt contra hebraeos, qui ea demoliti sunt, vel exarserunt: clamabunt, inquam, eos esse sacrilegos, ac vindictam a Deo exposcent; quod Dei solum violarint, quod sacerdotes et Religiosos Dei servos suis domiciliis spoliarint, quod Dei laudes et cul-

tum sustulerint. Ita in Anglia sub Henrico VIII, schismatis auctore,

Millia dena unus templorum sustulit annus.

Rursum eadem clamabunt contra sacerdotes et Religiosos, qui indigne et irreligiose in locis tam sanctis Deoque consecratis vixerint, scandalumque fidelibus dederint, ac dicent illud *Isaie XXVI, 40*: « In terra sanctorum iniqua gessit, et (idcirco) non videbit gloriam Domini. » Sic Isavi lapis et paries contra Balsasarum sacrilegi in eo profanantem vasa templi, in hisque potantem, cum manum vindicem intendentem ei exitum ex se emisit, quæ ei mortis sententiam dictaret: *Manna, tekel, phares*, Daniel. *v. 25*.

ET PRÆPARAT URBEM (Babylonem) IN INQUITATE. — « Præparat, » id est, ut Tigurina, *instaurat*; Vatablus, *fulcit*; alii, *erigit*, edificat, firmat, concinat, ornat ex rapinis, et ex sudore pauperum: hæc omnia enim significat hebraicum *כבבב komeh*, quod Noster vertere solet, *præparat*. Hinc *Proverb. VII, 27*, dicitur: « Quando præparabat, » id est formabat, fundabat, « celos, aderam. » Sic *Isaie cap. II, 2*, dicitur: « Præparatus, » id est fundatus, erectus, ornatus, « mons domus Domini, » puta Sion, id est Ecclesiam Christi. Vide ibi dicta. Nabuchodonosor enim præter alia, « tres murorum ambitus intra urbem (Babylonem) extruxit, et totidem foris circumdedit omnes et coctillibus laterculis, » ait Iosephus lib. X, cap. XI. Vide dicta *Daniel. IV, 27*.

13. **NUMQUID NON HEC SUNT A DOMINO EXERCITUM? Vers. 13.**

« Hæc, » scilicet que contra te, o Nabuchodonosor, valdeior, *g. d.* Has clades et strages quas tibi intendo, non ex me, sed ex Dei ore et decreto tibi intendo: ex Deo, inquam, qui est Dominus exercituum, non humanorum duntaxat, uti es tu, sed angelicorum etiam, et creaturarum omnium. Hæc enim omnes illi militavit, et ad nutum ejus feruntur in impios. Ita S. Hieronymus. Aliter Theodoretus et Theophylactus, *g. d.* An non a Deo respectetur ratio tuæ vite antea? puta tuo tyrannidis, qua gentes et urbes igne concrevastis, cum ille frustra tibi resisterent, quia a copiis tuis oppressæ succumbebant.

LABORABUNT ENIM POPULI IN MULTO IGNE, — quo scilicet a Cyro et Persis succendetur Babylon, ut eum restinguant: sed in vacuum et frustra. Nam omni suo labore cum sistere, vel sopire non poterunt; sed potius fessi et fracti « deficient. » Secundo, Chaldeus: *Namquid, ait, non plures vehementes veniunt a facie Domini exercituum, et labor gentium robustarum tanquam ignis, et regna in vacuum laborabunt? g. d.* Laborant Chaldei ut prædas et opes coacercent; sed laborant in ignem, quia igni, quo comburetur a Cyro Babylon, materiam licentiam præparant. Ergo hi labores eorum cadent in vanum et deficient, quia ab igne consumuntur. Ita « in operibus manuum sua-

rum comprehensus est peccator, » ut ait Psaltes. Ita Vatablus et a Castro.

**Vers. 14.** 14. QUA REPLEBITUR TERRA, UT COGNOSCAT GLORIAM DOMINI, QUASI AQVE OPERIENTES MARE. — Ita et Syrus et Arabicus, q. d. Frustra laborabunt Chaldaei in restinguendo incendio ; quia replebitur terra eorum igne et incendiariis, puta Medis et Persis hostibus, qui innumera sua turba Babylonem operient, imo in vicinas gentes effundent se, et exundabunt, sicut aquae maris alveum replent et operiunt. Hebraeus, sicut aquae operiunt super mare, id est supra maris alveum et littora, in vicinas agros exuberant et exundant. Atque ex hac tam plena et terribili vindicta, cognoscent omnes gentes gloriam Domini, qui tyrannos hosce punit et opprimit. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus et Lyranus. *Secundo*, Theophylactus, q. d. Sicut aqua copiosa inundans et superbulliens, in omnem hinc inde locum quaquaversum effunditur ; sic fama hujus vindictae et excidii Babylonis, indeque cognitio Numinis Deique ultoris, replebit terram, et super cunctas gentes fundetur, ut omnes gloriam, id est gloriosam Dei justitiam et potentiam agnoscant ; celebrent et paveant. Juxta hunc sensum hebraeus *hi*, id est *quia*, non causam, sed effectum et consecutionem significat, ut et alibi saepe. Potest tamen proprie sumi, ut significet causam finalem. Ideo enim Deus Babylonem puniti, quia intendebat per hanc punitionem toti orbi patefacere suam justitiam et gloriam.

**Vers. 15.** 15. VAE QUI POTUM DAT AMICO SUO, MITTENS FEL SUUM, ET INEBRIANS UT ASPICIAT NUDITATEM EJUS ! — Pro fel suum hebraice est חמטח *chamatecha*, quod primo verti potest, utrem tuam, ita Pagninus et Vatablus, *secundo*, furorem tuum, vel suum, ita Aquila et Symmachus ; vel subversionem turbidam, ita Septuaginta ; vel effusionem tuam ; ita Theodotion ; vel ut alii, amentiam tuam, vel venenum tuum, vel fel tuum, aut suum, per enallagen personae, ita Noster. Syrus et Arabicus vertunt : *Vae qui potat amicum face* (vel turbido) *furoris sui*. Jam varii varium hic dant sensum. Primo ; Hebraei et ex eis S. Hieronymus, Lyranus, Hugo et S. Thomas tradunt quod Nabuchodonosor, in die solemnium epuli et publici convivii, jusserit Sedeciam regi Juda a se capto propinari *חמטח*, id est potionem quae alvum laxaret, cumque illa operaretur et ventrem solveret, jussisse ut in locum convivii introduceretur, ut ante omnium principum oculos sordes emittens irideretur ; quia ex re, inquit, tanto pudore affectus est, ut in carcerem reductus praestitista sit mortuus, hocque esse quod hic in Nabuchodonosore redarguit Habacuc. Adduntque id Chaldaei in convivii usitatum fuisse, ut aliorum se erapula, nuditate ac feditate, quasi pars esset splendide mense, oblectarent. Hinc spectat quod Hebraei scribunt in *Seder-Olam*, cap. xxviii. « Interiit, inquit, Sedecias, et de ipso hunc instituerunt planctum ; Heu

qui mortuus est rex Sedecias, bibens faeces omnium aetatum ! » Quod Genebrardus in *Chronol.* sic exponit, q. d. Qui luit peccata omnium superiorum aetatum. Verum hoc, ut fabellam rabbinicam, ridet hic S. Hieronymus, praesertim cum nil tale habeat Scriptura, nec Josephus lib. X *Antiq.* xi, ubi significat Sedeciam naturali morte deunctum a Nabuchodonosore honorifice fuisse sepultum.

*Secundo*, Theophylactus, Clarius, Vatablus et Abulensis in cap. xvi, lib. IV *Reg.* Quast. XXXVIII, consent hic argui Nabuchodonosorem, eo quod Sedeciam, aliosque principes a se captos inebriaverit, hoc fine, ut ebrii et vino astuantes discinderent tunicas (femoribus enim non utebantur Hebraei et Chaldaei) suas, itaque verenda nudarent, ut hac ratione et probro eos illuderet, omnibusque convivis ridendos proponeret, uti Noe ebrius illusus est a filio Cham, *Gen.* ix, 24, quo hic alluditur.

*Tertio* et genuine, q. d. Vae Nabuchodonosori ejusque associis, qui fel suum, id est suam bilem et amaritudinem, ac, ut Aquila, *furorem suum* usque ad ebrietatem propinat, etiam amicis sibi regibus ! hoc est, qui eos crudeli tyrannide dixevit, donec eos regno, opibus, honore, ipsa denique libertate pendente, et ad irrisum dispellet atque denudet. Vae, inquam, ei ! nam legationis simili modo ipse ab aliis nudabitur, parique ignominia et irrisione mulcabitur. Est metaphoram ab ebrio, qui ex ebrietate et aestu nudari solet, ideoque rideri, uti jam de Noe dixi. Ita S. Hieronymus, Remigius, Theodoretus, Hugo et Ribera

Aliqui hunc versum 15 sic legunt : *Vae qui dat potum proximo suo subversionem turbidam, et inebrians eum ! vae qui errare facit caecum in via !* Ita B. Oresiesis, discipulus S. Pachomii, in *Instruct. monast.*, cujus meminit S. Hieronymus lib. *De Script. Eccles.*, quaeque exstat in appendice *Biblioth. SS. Patrum*, ubi ipse hanc sententiam applicat iis qui subditos eorumque errata defendunt, cum a praepositis corripuntur : « Tales enim, ait, errant, et alios errare faciunt, dum obedientiam transferunt ad superbiam ; et eos qui in dulcedine charitatis poterant ambulare, convertunt in amaritudinem, et subiectos legibus monasterii malis consiliis depravant, faciuntque odisse eum, et contristari contra illum, qui eos docebat Domini disciplinam, lites serentes inter fratres et discordias, atque pro obedientia contumaciam serunt in cordibus audientium. » Unde tropologicè felle potant amicos suos diaboli, et homines diabolici, qui fellita doctrina mentes hominum interimunt : « Quas enim per vitia carnis et cupiditatem praeviderint se supplantare non posse, perversi dogmatis venenosus poculo perimunt, ne soli in aeternis suppliciis circumrent, » ait Apponius lib. II in *Cantica*, tomo I *Biblioth. SS. Patrum*.

**Vers. 16.** 16. REPLETUR ES IGNOMINIA PRO GLORIA : BIBE TU QUOQUE, ET CONSPIRE, — et ex sopore denudare, ut irridearis. Videtur Noster cum Septuaginta et Tigurina legisse חרתי *herati*, id est consopile : jam per metathesin legunt חרתי *herati*, id est denudare praepitium. Ita Chaldaeus et Pagninus. Sensus est, q. d. Tu quoque, o Nabuchodonosor, bibes de calice ire Dei, inebriaberis vino angoris, perplexitatis, ignominiae et confusionis : consopieris more ebriorum verenda sua denudantium, hoc est, vehementer et ad stuporem usque pueris, ita ut omnes tuae feditates denudentur, omnibusque ridenda ostententur : imo illo ita repleberis, ut vomitus ignominiosus sequatur, et effluat super gloriam tuam, ut scilicet vestes tuas gloriosas, omneque tuum decus et gloriam vomendo conspures, id est, ut turpiter omnia revomas in manus Cyri et Persarum, quae avare degulterat, et possidebas gloriose. Unde Pagninus vertit : *Bibe etiam tu, et apparebit praepitium tuum ; vertet se super te calix dexteræ Domini, et vomitus ignominiosus veniet super gloriam tuam.*

Symbolice, nota hic feditatem deliciarum, gulae et erapulae ; utpote quae illico in vomitus, sordes et excrementa vertantur. Quocirca S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 38, ait, « delicias non esse aliud quam pretiosum stercus ; » pretiosum, quia in pretio est guloso, ab eoque magno labore et pretio comparatum. Nazianzenum magistrum secutus S. Hieronymus, *epist.* 13 *ad Paulinum* : « Qui Christum, inquit, desiderat, et illo pane vescitur, non magnopere querit, de quam pretiosis cibus stercus conficiat. Quidquid post gulam non sentitur, idem sit tibi quod panis et legumina. » Et Nicetas in *orat.* 38 Nazianzeni, sub finem : « Omnis, ait, voluptas quae nec ex Deo, nec in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est. » Id ipsi didicerunt ex S. Paulo *Philipp.* iii, 8, dicente : « Propter quem (Christum) omnia detrimentum feci, et arbitror ut sterco, ut Christum lucrificarem. » Quamobrem recte S. Eucherius *epist. ad Valerianum* : « Anne aliquis, inquit, ex illa Aristippi schola veritatem videbit, qui ingenio suo a subitis aut peccore nihil differt, cum beatitudinem in corporis voluptate constituit, qui Deus venter est, et gloria in pudendis ejus ? » Hinc et illud Horatii : « Epicuri de grege porcus. »

**CIRCUMDABIT TE CALIX DEXTERÆ DOMINI.** — Alludit primo, ad calicem convivas circumdantem, id est circumventem in orbem convivii, q. d. Calix vindictae Dei ab eo propinatus est Judaeis, Moabitibus, Aegyptiis aliisque gentibus : tandem et Chaldaeis, eorumque regi propinabitur, ut faeces ejus exhauiat, utque eum inebriet, astuare et vomere cogat. Hoc enim disertè ait Jeremias cap. xxv, 17. Simile est *Threnor.* iv, 21, et *Psaln.* lv, 21. Ita Theophylactus et Sanchez.

*Secundo* et nervosius, alludit ad potores, qui cum aliquem vinipotentem inebriare, ac mente, mensa et scammo dejicere volunt, undique eum

calicibus propinando impetunt et cingunt, donec eum obruant vino somnoque, ut se nudare et vomere cogatur. Ita Deus calicibus ire et vindictae suae, puta Persis et Medis, undique cingit Chaldaeos, ut eis ad fauces obrui, et ad stuporem amentiamque adacti fuerint. Porro ne quis Italus hoc calicem certamen vere magis quam telorum, eorumque bacchicam, imo bestialium obsidionem miretur, sciatque quam nonnulli sint bibaces et vinipotentes, audiat illud Martialis lib. IX, *epigram.* LXXIV :

Nunc mihi dic quis erit, qui te Calathese deorum  
Sex jubeo cythos fundere ? Cesar erit ;

Et Ovidii, III *Fastor.* :

Invenies illic qui Nestoris exhibit annos,

puta qui bibat tot cythos, quot Nestor habuit  
annos, scilicet trecentos, vel, ut alii, nonaginta.  
Et Horatii, lib. III, *ode* XXI :

Reges dicantur magnis urgere calulis,  
Et torquere mero quos perspexisse laborant.

Et Juvenalis *satyr.* VI :

Tanquam alta in doli longus  
Deciderit serpens, bibe.

**47. INQUITAS LIBANI, — id est in Libano a te exercita. Libanum** vocat Judaeam et Jerusalem, tum quia Libanus erat terminus, et initium Judaeae versus septentrionem ; tum quia Jerusalem domorum et turrium multitudine et sublimitate referebat Libanum cedris, cypressis aliisque proceris arboribus densum, ex iisque edificata erat, ita Theodoretus, Theophylactus, Vatablus, Arias et Clarius ; imo S. Hieronymus, Chaldaeus, Remigius, Hugo, Lyranus et Ribera putant Libanum vocari templum : quia illud ex cedris Libani erat constructum, et quia Libanus dicitur a candore nivium, quibus operitur (Libanus enim hebraice idem est quod candidus) ; sic et templum ob candorem lapidum, mons quidam niveus videbatur, teste Josepho lib. VI *Bell.*, cap. vi. Sensus est, q. d. Iniquitas et violentia tua, o Nabuchodonosor, quae Judaeam vastasti, Jerusalem excidisti, ipsumque Dei templum exussisti, obruet et perdet te, ut pari modo tua Babylon, cum tuo filio Balsasare a Persis et Medis vastetur, excindatur, exuratur. Hic verum est illud vulgo tritum : « Ipsus se laedit, alium qui ledere querit. »

**ET VASTITAS ANIMALIUM DETEREBIT EOS.** — Hebraea : *Vastitas jumentorum*, id est ferarum, *terrebit*, vel *conteret eas*, scilicet feras. Noster vertit, eos ; quia animalia, id est feras, vocat tum Chaldaeos, qui quasi pardi, ursi et leones Libanum, id est Judaeam, vastaverunt, ita Arias et Vatablus ; tum Medos et Persas, qui quasi ferae in terras, id est in Chaldaeos, grassati sunt. Ita Theodoretus et Theophylactus. Sensus est, q. d. Quia Chaldaei truculenter quasi ferae vastarunt Hiero-

solymam, ideoque vicissim truculenter a Medis et Persis quasi feris percellentur, vastabuntur et conterentur (1).

DE SANGUINE (id est propter sanguinem hominum copiosum, quem fudisti), ET INIQUITATE TERRÆ, ET CIVITATIS. — id est propter iniquitatem, vim et expilationem terræ Judææ, et civitatis sanctæ Jerusalem, q. d. Quia diripuisti et desolasti Judæam et Jerusalem, omnesque habitantes in ea, ideoque pari sorte et jure tu quoque diripieris et desolaberis a Cyro et Persis. Ita Chaldeus et alii passim.

Vers. 18. 18. QUID PRODEST SCULPTILIS (Clare Septuaginta: Quid prodest sculptilii, quod sculpservit illud? formaverunt illud confatilis, imaginationem falsam: quia confidit fctor in figmento suo, q. d. Quid sibi et vobis, o Chaldei, tunc (cum exscindimur a Cyro) proderunt sculptilia, id est idola vestra, in quibus gloriamini, quasi per ea invicti sitis, omniumque prædis et victoriis clari?) QUIA SCULPSTR ILLUD FACTOR SUUS? — Scilicet idoloplastes sculpsit fecitque hoc idolum sculptum, lima illud sculpendo: aliud vero (nec enim num idemque idolum est sculptile et confatilis, sed hoc sculpsit, illud confatur: subaudiendum est hic ergo verbum fecit, vel confavit confatilis, ita Vatablus) fecit confatilis, in fornace illud liquando et conflando; quæ non sunt aliud, quam imago falsa dei, ac numen mendax, omnis divinitatis, providentiæ, consilii, doctrinæ, imo et vitæ expertis, bruta et muta, q. d. Sculptilii nil prodest elegans sculptura sculptoris, nec confatili artificiosa confatio conflatoris: non enim ipse omni sua arte potuit formare Deum, aut lapidi quem in idolum sculpsit, vel metallo quod in idolum confavit, animam et mentem, multo minus deitatem indere, vel inspirare: frustra ergo in eo confidit, frustra illud invocat diens: Expersciere, et pugna pro me: frustra illi robur et victoria adscribit, tam ipse quam ejus assectæ idolocolæ: idque ad oculum patebit, cum idola vestra, o Chaldei, vobiscum a Persis diripiuntur et diffringuntur. Nota: Pro simulacra muta, in Hebræo est elegans paronomasia מַלְאָכִים מְלִיכִים *elilik mlihim*, id est deiculi elingues et mutuli. Septuaginta, εἰδωλὰ κωφα, id est idola muta. Quocirca idolis hęc Deum verum opponens, hoc epithymatate caput concludit:

(1) Et devastatio bestiarum, quæ (אָשַׁר *ascher*) eas terruit, scilicet operiet te, id est talis in te recidit ruina, qualis importari solet feris, cum a venatoribus capiuntur et jugulantur. Cum terram Israeliticam comparasset Libano, in quo sylvæ fuerunt, atque in his fere, pronum est illius incolas *animantia* appellare. Metaphora est a venatoribus desumpta, cum publice indieta venatione, omnes undequaque conveniant, et cogant ad feras omnes ex sylva aliqua exagitantés, atque exterminandas, tunc enim vis quedam fit sylvæ, ut devastetur ejus fere. Ita Chaldeus Judæam tanquam sylvam feris plenam excessit et bello totam perstravit, exercitibus suis quasi indaginis cinxit, et: incolis suis nudavit. Sic post Rosenmüller Aekermann.

« Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie ejus omnis terra. »

19. V. E. QUI DICIT LIGNO: EXPERGISCERE, SURGE! — Vers. 19. Gentiles enim quia sciebant Jovem, Saturnum, Vulcanum, Apollinem, Venerem, etc., fuisse homines, quos majores eorum in deos retulerunt, hinc censebant etiamnum eos habere corpora, quæ quiete et somno pascantur et egeant, ac subinde dormire, ideoque a somno debere excitari, more regum et principum. Hinc oraturi, præsertim mane, deos inclamando excitabant, ut preces suas audirent. Audi Arnobium lib. VII: « Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canit matutini collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigiliam debeant. » Hinc Elias III Reg. XVII, 27, irridens sacerdos Baal, ait: « Clamato voce majore: Deus enim est, etc., certe dormit, ut excitetur. » Lactantius lib. VI: « Maciant, inquit, hostias Deo, tanquam esuriunt: profundunt vina, tanquam sitiunt: accendunt luminaria, velut in tenebris agunt. » Martialis *De Iside*:

Nuntiat octavam Pharis sua turba juvençæ,

puta Isidi, quæ formam habebat vitule. Apuleius lib. XI de eadem: « Ichoate lucis salutationibus religiosi primam nuntiantes horam perstreperunt. » Seneca apud S. Augustinum lib. VI *De Civit. cap. x*, ridens hanc suorum stultitiam: « Alius, inquit, numina Deo subjicit, alius hores Jovi nuntiat, alius licitor est, alius unctor. Sunt quæ Junoni ac Minervæ capillos disponunt: sunt quæ speculum teneant, » etc.

20. DOMINUS AUTEM IN TEMPO SANCTO SUO, — q. d. Vers. 20. Deus non est ex auro sculpto vel confatio, in tempore ab artifice formatus, ideoque non habitat in idolo sculptili vel confatili: quod in terra, puta in suis delubris, locant idololatæ; sed in cælo, quod est ejus solium et templum, gloriosus habitat ab omni ævo; est enim *æternus* et *eternus*. E cælo ergo aspiciet et prospiciet, moderatur et dirigit ad nutum res hominum. Quocirca « sileat a facie ejus omnis terra. » Sileat, præ reverentia, pavore, admiratione et stupore. Unde Septuaginta: *Reverenture eum omnis terra*: Syrus: *Commovetur, vel contremiscit coram eo*; Arabicus: *Timesat ante eum universa terra*. Silere enim in Scriptura per metalepsin sæpe significat timere, revereri, obstupescere, ut *Sophon. i. 7*: « Silete a facie Domini Dei, quia iuxta est dies Domini; » *I Machab. i. 3*: « El siluit iuxta in conspectu ejus, » Alexandri Magni; quia ejus armis et victoriis pecterrita conficit, sicut mures silent coram fele, oves coram lupo, aves coram accipitro. Rursum Theodoritus et Theophylactus templum hic intelligunt Hierosolymitanum. In eo enim, non in idolis, residebat, et præsens suis aderat Deus: multo magis jam in lego nova, in templis præsens adest, et corporaliter in S. Eucharistia inhabitat Christus. Quocirca merito S. Francisus, epist. exhort. *ad sacerdotes sui Ordinis, quæ habetur tom. V Biblioth.*

Vers. 19

Vers. 20

Silere est verbo nisi.

SS. Patrum, in fine: « Magna, ait, miseria, et miseranda infirmitas, quando ipsum (Christum in Eucharistia) presentem habetis, et aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et cælum exsultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus, Filius Dei vivi. » Et noster Thomas *Quædam*, ideoque doctor irrefragabilis, lib. IV *De Imitat. Christi*, cap. III: « O mira circa nos tuæ pietatis dignatio, quod tu, Domine Deus, creator et vivificator omnium spirituum, ad pauperulam dignaris venire animam, et cum tota divinitate tuâ ac humanitate, ejus impinguare esuriam, etc. Sileant a facie tuâ, dulcissimi dilecte mi, cælum et terra, et omnis ornatus eorum; quoniam quidquid laudis habent ac decoris, ex dignatione tuæ est largitus; nec ad decorem tui pervenient nominis, cujus sapientie non est numerus? » Quocirca in Inlurgia S. Jacobi, lectores hęc vocabis populum ad reverentiam excitant: « Sileat omnis humana ac mortalis caro, statque cum metu et tremore, ac nihil terreste apud seipsam cogitet. Rex enim regnantium, et Dominus dominantium Christus Deus noster progreditur, ut immoletur, ac detur in cibum fidelibus. Ipsum autem antequam angelorum chori cum omnium imperio et potentia. » Hęc sibi fixe impresserat B. Aloysius Gonzaga, ideoque nullam unquam in oratione, et præsertim in sancta communione mentis evagationem patiebatur. Quæ de re rogatus a Cardinali Bellarmino, qui id fieri posset, respondit: « Mirari se si aliter fieri posset. Quis enim, inquit, sibi persuadens se cum divina majestate colloqui, ab eaque videri et compellari, possit ad alia vilia et exilia oculos animumque coarctare? » Ita habet ejus Vita, et processus canonizationis.

Moraliter, de his per silentium reverentia.

Porro tanta est Dei majestas, tanta potestas, tanta justitia et vindicta, ut eam expertus Nabuchodonosor, cum in bestiam versus, sibi postea esse restitutum, pleno ore eandem celebravit: « Quia potestas ejus, inquit, sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem; et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt, » etc., *Daniel. iv. 31*. Idem fecit impius Antiochus, sed sero, dum vindictæ Dei manum sensit, quia infelicem animam exhalavit. Cum enim percussus a Deo factorem suum ferre non posset, exclamavit: « Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire, » *II Machab. ix. 12*.

Significat ergo hic Propheta tantam esse Numinis majestatem, ut eam potius casto profundoque silentio, ut ait S. Dionysius lib. *De Mystica Theologia*, quam exili nostro præconio venerari debeamus. Omnium enim hominum et angelorum mentes, voces et lingue deficient in ea contemplantia, colenda et celebranda. Quocirca Ecclesiastici, cap. XLIII, 29: « Multa, ait, dicemus, et deficiemus in verbis, » q. d. Licet multa dixerimus,

deficiemus tamen ab ejus operibus (multo magis ab ipso) pro dignitate celebrandis. « Consummatio autem sermonum ipse est in omnibus, » q. d. Finis et summa verborum sit, quod Deus est in omnibus, vel, ut Græca habent, *πάντα ἐν παντί*, id est ipse est omnia; quia ipse verum omnium est principium, medium et finis; ipse est omnium causa, finalis, conservans et efficiens: ipsa est qui creatis omnibus dedit, et jugiter dat sumum esse, ac substantifico suo influxu perpetuum illud fovet. Si enim ad momentum laxaret manum suam, illico omnia in nihilum sumum, ex quo ab eoeducta sunt, corruerent, et velut umbra perirent. Nihil enim est solidi, vel in corporibus, vel spiritalibus, nisi quatenus virtus Dei intrinseca ea continet et constringit, ne velut aqua diffusant, vel instar fumi dissipent, vel ut somnium quoddam et phantasma inane evanescant. Quocirca subdit Ecdesiasticus: « Gloriantes ad quid valobimus? » q. d. Quantum est, quod nos possumus cum glorificare, nullam enim ei gloriam nostra glorificatione addere possumus, uti nec gloriam ejus immensam digne celebrare. « Ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque poterimus, supervalebunt (excellēt, transcendēt omnem glorificationem) enim adhue, et admirabilis magnificentia ejus. Benedictentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major est enim omni laude. Exaltantes eum replentini virtute (vi, spiritu, robore, q. d. Exerile et expromite omnes vires et voces vestras) ne laboretis; non enim comprehendetis. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? » Hæc de causa regec hymnus Deus in Sion; » Hebræus: *Thi tacet laus Deus in Sion, q. d. Tu opera sunt tanta, et multo magis tanta est majestas tua, ut ejus respectu laus nostra omnis nihil sit, videaturque merum esse silentium. Ita Chaldeus et S. Hieronymus ibidem. Unde Zacharias, cap. II, 13: « Sileat, ait, omnis caro a facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo, » Quin et S. Joannes, *Apos. viii. 4*: « Factum est, inquit, silentium in cælo. » Si cœlies silent et obstupescunt ad Dei gloriam, quidni sileant et obstupescant mortales?*

Ratio est, primo: quia essentia Dei est augustissima, sacratissima, sublimissima, et immensa, quaque universum, ideoque in immensum omnem creaturarum intellectum, conceptum et vocem transcendit; ut omnis nostra laus non sit aliud, quam vox gæulorum et pipionum: deitas enim est oceanus essentiae, majestatis et immensitatis. Hinc Deus hebraice vocatur *Estora*, id est qui est, et ipse se nuncupat, « Ego sum qui sum, » *Ezod. cap. III*. Ab hoc oceano singule creature guttam, vel stillam unam essentiaë hauriant. Rursum, Deus est sol quidam immensus claritatis et glô-

Ratio p. 1.

rie, a quo singuli homines et angeli radiolum unum lucis et vito emendant. Quare merito S. Gregorius Nazianzenus, orat. in *Natalitia*, de Deo loquens ait: « Universum esse in seipso, nunquam inceptum, nunquam desitutum complexum continet, tanquam infinitum quoddam et interminatam essentiae pelagus. » Et S. Dionysius lib. *De Mystica Theolog.*, totus in eo est, ut ostendat Deum in immensum excedere omnem essentiam, omnemque intellectum et cognitionem propter suam « supersubstantialem infinitatem. » Unde ipse crebro Deum vocat *ὑπερῶν ὁρίων*, id est *supersubstantialem essentiam*. Idem, lib. *De Divinis Nomin.*, cap. xiii: « Nihil, ait, eorum quae sunt, aut eorum quae alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud omnem rationem et intellectum superans, supersubstantialem super omnia supersubstantialem superdeitatis. » Et cap. iv: « In ipso est omne principium, exemplare, finale, efficiens, formale, elementare; et simpliciter omne principium, omnis connexio, omnis terminus. » Hinc « lucem inhabitat inaccessibilem. » I *Timoth.* vi, 16, et tamen in ipso vivimus, movemur et sumus. Ipse enim est quidam fundus et fundamentum rerum omnium, cui universa inmixta recumbunt, ut ait S. Dionysius lib. *De Divinis Nomin.* cap. x. Quocirca Job cap. xi, 7: « Porsitan, inquit, vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior caelo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognoscas? Longior terra mensura ejus, et latior mari. » Sileant ergo a facie tua, o Rex majestatis, elementa et caeli. Sileant arbores, herbae, flores, plante, prata, campi. Sileant aves, pisces, jumenta et ferae. Sileant homines, angeli et creaturae omnes: quia coram te omnes in unum collectae non amplius sunt, quam momentum statera, et gutta roris antelucani, quam illico sorbet sol oriens, *Sapient.* xi, 23; quam stilla silulae, quam pulvis exiguus, quam locustae, quam inano et nihilum, *Isaia* xl, 15, 17 et 22; quam pulvis et cinis, *Gen.* cap. xviii, vers. 27.

**Secunda.** *Secunda ratio est, quod, sicut in Deo augustissima est essentia et majestas; sic pariter augustissima in eo est sanctitas, augustissima sapientia, augustissima providentia, augustissima omnipotentia, augustissima misericordia, augustissima iustitia, augustissima perfectiones ceterae, eaeque infinite. Deus enim in se formaliter, vel eminenter, continet omnes perfectiones creaturarum omnium quae fuerunt, sunt et erunt; ac in super infinitas alias creaturas incommunicabiles. Sicut enim est oceanus essentiae, sic est et oceanus perfectionum. Formaliter Deus in se continet perfectiones creaturarum absolutas, uti sunt vis intelligendi, volendi, operandi, aliaque spirituales. Eminenter continet perfectiones creaturarum mixtas, quae videlicet cum aliqua imperfectione conjunctae sunt, quales sunt calor, color, odor,*

sapor, sonus, aliaque corporales. Quocirca *Ecclesiasticus* cap. xlii, 29, ait: « *ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ipse est et omne.* » Unde Gentiles Deum vocabant « *πᾶς*, id est universum, teste Eugubino lib. iii *Perennis Philosoph.* cap. viii. Fingitur a Poetis Pan cum Amore deo luctatus, et ab eo victus: quia omnia vincit amor, quin et Deum ipsum. Hinc enim ab amore se vinci passus est, tum alias, tum maxime cum Verbum caro factum est, ut nobis fieret frater, imo redemptor et pater. Hinc illud oraculum: « Magnus Pan mortuus est, » cum in Christi morte defecerunt oracula deorum, cuius meminit Plutarchus lib. *De Oraculorum defectu*. Quin et Deus ad Mosen: « Ego, inquit, ostendam omne bonum tibi, » *Exod.* xxxviii, 19. Et Apostolus *Roman.* xi, 33: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, et investigabiles viae ejus! etc. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula. Amen. » Quocirca eleganter S. Cyprianus lib. *Quod idola non sunt dei*: « Mundi, ait, unus est rector, qui universa quae sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec aestimari, sensu major est; et ideo sic eum digne aestimamus, dum inestimabilem dicimus. »

**Tertia ratio est, quod Deus uti in essentia, Ita et in hisce suis attributis omnibus et singulis, sit positive infinitus. Habet enim infinitam sanctitatem, infinitam potentiam, infinitam sapientiam, et ita de ceteris; in hisce ergo omnibus et singulis, est infinitus et immensus. Rursus Deus in infinitum transcendit non tantum omnes res creatas, earumque perfectiones et dotes, sed et omnes res possibles et imaginabiles, quae sunt infinite; transcendit, inquam, eas omnes, non uno, non centum, non mille gradibus, sed mille millenis millionibus, imo in infinitum. Cogita enim sapientiam, potentiam, bonitatem, etc., quantum potes, eamque majorem semper et crescentem in infinitum; cum omnia haec cogitaveris, scito quod universa haec tua, omniumque hominum et angelorum cogitata, Dei sapientia, potentia, bonitas, etc., transcendat in infinitum; scito quod nequam ad primum deitatis punctum pertigeris; sed ab illo distes in infinitum. Sileant ergo in conspectu majestatis tuae, Domine, omnes mentes, omnes linguae, omnes conceptus, omnes voces Seraphicae et Cherulicae, velentque suas facies et pedes, pra pudore et reverentia, *Isaia* vi, 2; quia omni sua aie, omni suo ardore minimum tuae gloriae gradum penetrare et comprehendere nequeunt. Vere « magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis, » *Psal.* cxlv. Et Baruch cap. iii, 23: « Magnus, ait, est, non habet finem: excelsus et immensus. »**

Ex hisce rationibus sequitur immense Dei majestati, sanctitati, sapientiae, etc., immensam de-

beri reverentiam, cultum et latriam: cumque eam nos homunciones et vermiculi prestare non possimus, debere nos coram ea humiliare, et deprimere in abyssum nostri nihili, miseriae, vilitatis et peccatorum, ac cum S. Francisco ex imo corde dicere: Quis tu, Domine? quis ego? in abyssum essentiae, sanctitatis, sapientiae, potentiae, omnisque boni: ego abyssus nihili, malitiae, ignorantiae, infirmitatis, omnisque mali. Abyssus ergo miseriae meae invocat abyssum misericordiae tuae. Quocirca nostrum hoc debitum exsolvit Christus, offerens se in cruce Deo pro nobis. Ipse enim cum sit Verbum Dei, est hostia infinita, et infiniti pretii, quae Dei immensitati commensa est, quam proinde nobis testamento reliquit, ut quotidie in Eucharistia eandem Deo immolemus, itaque debitum Deo cultum et latriam persolvamus.

**Secundo, hinc excitatur, ut Deum super omnia summo et sincerissimo, quem prestare possumus, affectu et amore diligamus; quia ipse propter infinitam suam excellentiam, infinite dignus est omni amore, omni bono, omni gloria, omni laude, omni veneratione, omni obedientia et obsequio. Ex hoc amore sequitur ingens et ardens desiderium gloriae Dei, ac promptitudo animi, ut vires, spiritus, sanguinem et vitam expendamus ad ejus nomen et gloriam ubique celebrandam et promovendam, ut omnes Dei majestatem, aeternitatem, immensitatem, sanctitatem, omnipotentiam, misericordiam, iustitiam, providentiam cognoscant, timeant, ament, colant et glorificent in aeternum. Deinde ex hoc amore nascitur gaudium mirificum, gratulatio et júbilo, quo gaudemus de tanta Dei majestate et gloria, eique identidem jubilamus dicentes: « Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum. Amen. » *Apo.* vii, 12. Sic inchoamus vitam angelicam et beatam. Hoc enim est officium angelorum et sanctorum in caelo: hoc eorum otiosum negotium, et negotiosum otium, ut toto corde, summo gaudio et júbilo Deum perpetim honorent, laudent, glorificent.**

**Tertio, discimus contemere omnes mundi illecebras et pompas, totumque cor nostrum in Deo defigere, ac dicere cum Psalle: « Mihi autem adherere Deo bonum est. Quid enim mihi est in caelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. » Sileant a facie tua omnes opes, omnes honores, omnes voluptates, quae eaci mortales quasi idola colunt, cum revera non nisi imago falsa, et simulacra umbratica solidarum opum, honorum et deliciarum; quia in te solo est verum et omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnis quies, omnis consolatio, omnes thesauri, omnis dignitas, omnis majestas, omnis gloria, omnis sapientia, omnis vita, omnis felicitas. Tu pelagus infinitum essentiae, bonitatis et**

beatitudinis: omne esse, omne verum, omne bonum in te concludens, et ab aeterno eminenter anticipans, tanquam fons totius entitatis. Tu fundamentum possibilium omnium, esse supersubstantialem omnium quae sunt et quae non sunt, sine quo non solum nihil potest esse actu, sed nec potestate, nec ullam habere rationem possibilem, conceptibilem vel intelligibilem. Tu omnium principium, omnium finis, omnium conditor, conservator, promotor; omnium locus; omnium aevum, duratio, ordinatio, connexio, consummatio. In te omne bonum angelorum, hominum et creaturarum omnium. Deus meus, amor meus et omnia, natem in te quasi pelago, sicut pisces in mari; in immensitati providentiae, misericordiae et bonitatis tuae immerger, inebriar, perdar, absorbear, ibique una mecum mergam omnes spes et res meas, omnes affectus et amores, omnia desideria et vota.

Denique hinc discimus medium et scalam op-  
**Quartus.** timam qua ascendamus ad Deum esse silentium creaturarum. Vir quidam sanctus apud D. Taulem, pag. 688, rogatus: « Ubi invenisti Deum? » respondit: « Ubi creaturas reliqui. » S. Dionysius, lib. *De Mystica Theologia*, docet duobus modis et viis nos pertingere ad Dei cognitionem: prior est, affirmationis et comparationis, nimirum ascendendo a creaturis ad Creatorem, ac de eo affirmando omnes dotes quae reperimus in creaturis, quod in Deo creaturam eadem sint sine comparatione excellentius et perfectius; posterior est, negationis, nimirum negando de Deo omnes res creatas, v. g. dicendo: Deus non est animal, non homo, non caelum, non angelus, sed infinitus quid praestantius et divinius: atque hoc secundo modo melius et purius Deum cognosci asseverat.

Hac scala S. Augustinus, lib. X *Confess.* cap. vi, ascendit ad Deum: « Domine, inquit, amo te; sed et caelum, et terra, et omnia quae in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut amem te; nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Quid autem amo, cum te amo, non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis, esse istis alicuius oculis, nec dulces melodias suavium cantilenarum omnimodarum; non florum, et unguentorum, et aromatum suaveolentiam; non manna et mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non haec amo, cum amo Deum meum; et tamen amo quandam lucem, et quandam vocem, et quandam odorem, et quandam cibum, et quandam amplexum, cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei; ubi fulget anima mea quod non capit locus, et ubi sonat quod non rapit tempus, et ubi olet quod non spargit flatus, et ubi sapit quod non minuit edacitas, et ubi haeret quod non divellit satietas. Hoc est quod amo, cum Deum amo. Et quid est hoc? Interrogavi terram, et dixit: Non sum; et quocumque in ea



sunt, idem confessa sunt. Interrogavi mare, et abyssos, et reptilia animalium viventium; et responderunt: Non sumus Deus tuus, quere super nos. Interrogavi cœlum, solem, lunam, stellas, etc., et exclamaverunt voce magna: Ipse fecit nos. Interrogavi mundi molem de Deo meo, et respondit mihi: Non ego sum, sed ipse me fecit, etc. Idem, lib. IX, cap. x, cum matre S. Monica, paulo ante ejus mortem colloquens de vita æterna Sanctorum, quæ est Deus; quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: «Ergentes, inquit, nos ardentiore affectu in idipsum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia, et ipsum cœlum, unde sol et stellæ lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interius cogitando et loquendo te, et mirando opera tua, et venimus in mentes nostras, et transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in æternum, etc. Dicebamus ergo: Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasie terre, et aquarum et aeris, si-

leant et poli, et ipsa anima sibi sileat, et transeat, non se cogitando; sileant somnia et imaginariæ revelationes, omnis lingua, et omne signum, et quicquid transeundo fit, si cui sileat omnino: quoniam si quis audiat, dicunt hæc omnia: Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos qui manet in æternum. His didicis si jam taceant, et loquatur ipse solus non per ea, sed per seipsum, ut audiamus verbum ejus non per linguam carnis, neque per vocem angeli, neque per sonitum nubis, neque per enigma similitudinis; sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, et rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem; si continetur hoc, et subtrahantur aliæ visiones longe imparis generis, et hæc una rapiat et absorbeat, et recondat in interiora gaudia sua, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui suspiravimus, nonne hoc est, intra in gaudium Domini tui? Et istud quando?»

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Multi hoc caput et carmen ad litteram accipiunt de Christo, Christianique victoria et redemptione, quia Propheta hic crebro loquitur per verba futuri temporis. Ita videtur sentire S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Euthymius, Haymo, Rupertus, Emmamel, et S. Augustinus lib. XVIII De Civit. n. 32. Alii ad litteram hæc accipiunt de Cyro, expugnatore Babylonis et liberatore Judæorum, cui providè omnia hæc futura accommodant, quasi revera uti sonant, tunc acciderint, itaque probant ex Herodoto et Xenophonte. Ita Hugo, Albertus, Lyranus et Mariana.

Veram dico ad litteram Prophetam, cum ad suam querelam de Chaldæorum in Judæos tyrannide, imperio et excidio, a Deo accepisset responsum de Babylonis punitione, et Judæorum ex ea liberatione per Cyrum, hoc carmine Deo gratias agere, eamque obsecrare, ut idipsum reipsa cœsequatur. Quocirca canit magnalia, plagas et prodigia que Deus pro Hebræis patravit, ab exitu eorum ex Ægypto usque ad ingressum in terram Chanaan, ut significet similita Deum pro eisdem patraturum in liberatione ex Babylone, et reductione in Judæam; que omnia ascribit meritis Christi Jesu, quem Cyrus typice adumbravit. Ita Chaldaus, Hebræi, Vatablus, Arias, Jansenius, et tandem fatentur idipsum S. Hieronymus, Theodoretus et Theophylactus. Id ita esse patet primo, ex cap. 1 et 11, maxime vers. 3, atque ex tota connectione prophetis hujus. Hic est enim auditus, de quo ait vers. 1: Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Nam cap. 1 et 11, audiens Chaldæorum in Judæos severitatem, exanimatus et exarsit; secundo, quia ea de causa ab initio cap. usque ad vers. 24, plurima beneficia Hebræis in exitu ex Ægypto prestita commemorat, ut similita eis in egressu e Babylone præstanda demonstrat, et ad id credendum fidem et spera eorum exoccat; tertio, idipsum clare indicat cum ait vers. 16: Ut ascendam ad populum accinctum nostrum. Denique id significat titulus, oratio pro ignorantibus, id est pro peccatis suis et populi, ne scilicet Deus ob ea, liberationem ejus e Babylone, licet promissam, differat, vel omnino revocet et auferat. In sensu tamen allegorico, qui præcipue hic intenditur a Spiritu Sancto, loquitur de Christo, Christianique mysteriis et redemptione. Sicut enim Nabuchodonosor tyrannus, et vastator populi Dei gessit typum diaboli; ita Cyrus liberator ejusdem, figura fuit Christi redemptoris: et sicut Babylon representat regnum peccati, ita liberatio e Babylone representavit redemptionem Christi qui evertit regnum peccati, hominesque ea ejus et diaboli servitute liberavit. Hac de causa Propheta jam loquitur in præterito, ut significet se ad litteram loqui de Pharaone. Ægypto et Hebræis præteritis; jam in futuro, ut significet ad

litteram similita Judæis eventura per Cyrum, in expugnatione Babylonis. Allegorice vero similita, ino longo majore, omnibus gentibus præstanda per Christum, orbis redemptorem. Hinc nominat Christum et Jesum, vers. 18: Exullabo, inquit, in Deo Jesu meo, ejusque natiuitatem, miracula et gesta usque ad ultimum ejus judicium, typice percenset. Ita Theophylactus, Euthymius, Rupertus, Ribera, Tietmannus, Jansenius in hoc canticum. Similit modo victorias et beneficia sui temporis ad litteram, quibus allegorice representant victoriam et gratiam Christi, carmine suo celebrant Moses Exodi xv, Debora Judic. v, Judith cap. ult., Anna I Reg. ii, David Psalm. LXXI et LXXXVIII.

Ubi nota, quia allegoricus sensus hic præcipue est intentus a Spiritu Sancto, hinc quantum interseruntur, que magis conveniunt allegoriz quam litteræ, uti est nomen Jesu; et quod Septuaginta, vers. 2, habent: In medio duorum animalium cognosceris; et vers. 5: Ante faciem ejus ibit mors; et: Egredietur diabolus ante pedes ejus. Similit modo allegoriam litteræ miscet Isaias cap. xiv, ubi sub typo Luciferi, casum Balsaris depingit; et Ezechiel, cap. XXVIII, ubi sub typo Cherubini, ruinam regis Tyri representat. Ad litteram ergo tres sunt hujus canticæ partes. Primo enim Propheta Deum observat, ut opus redemptionis Hebræorum e Babylone promissum reipsa præstet et perficiat. Secundo, a vers. 2 ad 16, recollit et celebrat magnalia Dei, edita in eorumdem liberatione ex Ægypto, quo tacite rogat ut similita præstet in eorum liberatione e Babylone. Tertio, vers. 16, recit ad vers. 1, et ad cladem Babylonis obstupescit: mox gaudet et exultat in Domino, qui Judæos e Babylone liberabit, eosque quasi cervos veloces et atares in Judæam reducet (1).

2. Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordie recordaberis. 3. Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan: Operuit cœlos gloria ejus: et laudis ejus plena est terra. 4. Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus: 5. ante faciem ejus ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes ejus. 6. Stetit, et mensus est terram. Aspexit, et dissolvit gentes: et contriti sunt montes sæculi. Incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus. 7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. 8. Numquid in fluminibus iratus es, Domine?

(1) Cum allegoricus sensus hujus orationis præcipue hic a Spiritu Sancto intendatur, ejus synopsis juxta hanc sensum ex Kiber excerptam hic subiungere libet, scilicet synopsis mysteriorum Christi, spectaculum judicii æterni, et affectus Prophetæ vari.

Synopsis mysteriorum Christi, et Patris: Mystera Christi visibilia, scilicet primo, incarnatio et natiuitas, facta in plenitudine temporis, in comitatu misericordie, 3, in parte australi Judææ, 3; secundo, doctrina et miracula, 3. Secundo: Mystera Christi morientis: primo, passio et crucifixio, 4; secundo, victoria de morte et inferno, 5.

Tertio: Mystera Christi redivi, primo, missio Apostolorum in universum orbem, 6; secundo, conversio gentium, 6; tertio, conturbatio hostium Evangelii, 7.

Spectaculum judicii æterni: Patris, precedentia judicium: adventum judice fiet, primo, folium in et maris commotio, 8; secundo, vindicta ac tutela promissæ preparatio, et classium divisio, 9; tertio, summorum et infimorum furor ac desperatio, diabolorum accitio, et angelorum iustitio, 10.

Secundo, concomitantia judicium: primo, sol et luna fulgure suo ac fulmine erunt in symbola severitatis divine, 11; secundo, terre motus et impiorum consternatio, 12; tertio, interventus Christi pro salute electorum, 23.

Tertio, consequentia judicium: primo, reproborum perditio extrema per judicis sententiam, tum percusso Satana eorum capite, et disjecta omni machinatione adversa, 13; tum dissipata eorumdem potestate, vi noxia, et lætitia crudeli, 14; secundo, electorum potentissima liberatio ex omni calamitate et afflictione, 15.

Affectus Prophetæ vari: Patris, ortus ex consideratione judicii, scilicet, primo, timor et tremor, 16; secundo,

votum mortis, malis quantumvis plena, 16. Hujus voti finis quidem est, ut opportune congregetur cum electis, et mala iudicii evadat, 16; causa autem, quia tunc ab implorari persecutionis malis, alias etiam plentissimis, deficiant, et spirituali ubertate carebunt, 17.

Secundo, ortus ex memoria: primo, delectatio et gaudium in Deo ob salutem, 18; secundo, spes et fiducia in Dei auxilio, 19; tertio, prægiustus certæ victoriæ ac lætitiæ, 19.

Ceterum, ut allegoricus sensus in hoc capite non ultra verè et sanè interpretationis metas superetur, hæc commone ex S. Augustino ductam regulam in memoriam revocamus. Cum verba proprie explicari possunt, in eis contineri sensum litteralem, nec oportere recurrere ad allegorias. Sed omnia que in hoc canticum decantantur, addit Christophorus a Castro, si proprio interpretemur, optime conveniunt his que gesta sunt cum veteri populo: at si de tempore gratiæ contexamus, non perpetuo sensus ille deducatur: sed sæpe opus erit ad sensum historicum recurrere, ut, inviti licet, recurrant tandem multi qui de tempore gratiæ canticum explicant. Ergo ille habendus est sensus historicus, alter vero tropologicus, utpote qui liberari sit, et non perpetuo ex singulis verbis contextatur.

Hæc carmini illustrando peculiarem impenderunt operam, præsertim Jo. Mich. Feder, Canticum Prophetæ Habacuc ex hebræo latine versum, Wircob. 1771; — Guil. Adolp. Schrederus, Dissertatio philologica in Canticum Chabacuci, Groningæ, 1781; — Christ. Frid. Schurrer, Dissert. in Chabacuci, cap. III, Tubing. 1787; — Morner, Hymnus Habacuc, versione ac notis philologis, et criticis illustratus, Upsal, 1791; — Car. Theophr. Anton, cap. III Chabacuci versio, etc., Gorlicii, 1810.